



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770


VD18 90118510

Liber CXLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXLII.



PAULUS III. ROM. PONT.
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

Tridentini Concilii initia.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

Postquam cuncta, quæ Tridentini Con-
cilio celebrationem hucusque mo-
rabantur, tandem sublata essent ob-
stacula, potissima omnium sollicitudo eo
tendebat, ut initium daretur Sessionibus,
ad quas præfata urbs tam situ loci, quam
accessus opportunitate non solum Patri-
bus,

Pallav. hist.
Trid. l. 5.
c. 17. n. 8.
Labbe Coll.
Conc. t. 14.
p. 731.

Y 5

bus,

Sæc. XVI. bus, sed ipsis etiam Protestantibus per
 A.C. 1545. commoda erat; cum enim nec ulli Re-
 gum, vel alterius Principis imperio esse
 obnoxia, ibidem profanæ potentæ ar-
 ma, si forte Principum aliquis Congre-
 gatis nocere vellet, nullatenus erant pe-
 timescenda: Cum igitur inchoandæ
 Concilio prorsus nihil ultra obstare vi-
 deretur, ad diem duodecimam Decem-
 bris per universam urbem omnes & sin-
 guli sacrum jejunium præmittere jube-
 bantur, eademque die, in quam Sabba-
 tum inciderat, solemniter habebatur sup-
 plicatio, cui omnes Clerici ac Ordines
 Religiosi intererant: ea autem finita in-
 stituta est Congregatio, ut ibidem ea de-
 cernerentur, quæ in prima Sessione al-
 tera die celebranda agerentur. Ap-
 propinquante demum præstituta Sessio-
 nis die summus Pontifex edita Constitu-
 tione Romæ Annum sacrum promulga-
 vit, eo fine, ut quivis ad divinam operam
 Patribus Tridenti congregatis impe-
 trandam excitaretur, ut vero hæc pre-
 ces magis adhuc efficaces redderentur,
 Papa per solidos tres dies jejunia, &
 publicas supplicationes decrevit, cum-
 ctisque sacra homologesi purgatis, ac
 Synaxi rite relictis noxarum veniam in-
 dulgit.

Denique decima tertia Decembris,
 quam diem Pontifex inchoandæ Syno-
 do

do præstituit, ad Ecclesiam sanctissimæ ^{Sæcul. XVI.}
 Trinitatis Legati Apostolici sese confere- ^{A.C. 1545.}
 bant, comitantibus eos quatuor Archie-
 piscopis, & viginti duobus Præsulibus,
 qui una omnes Pontificio habitu ornat
 præprimis Hymnum de Spiritu sancto
 intonarunt, ac demum instructo suppli-
 cum ordine ad Cathedralem S. Vigili
 Ecclesiam processerunt, ex quibus primi
 incedebant Regularium Ordines, his vero
 proximi erant Canonici, aliique Cleri
 sæcularis Ecclesiastici, quos sequeban-
 tur Episcopi atque Archiepiscopi, ac de-
 nique Papæ Legati unacum Romano-
 rum Regis Oratoribus. Aberat tam Men-
 doza Caroli V. Cæsaris, quam Gallia-
 rum Regis Orator, quorum prior ad-
 versa valetudine detentus Venetiis hæ-
 rebat, alter vero ob longiorem Synodi
 dilationem in Gallias redire iussus fue-
 rat: hoc ordine igitur cuncti in præfa-
 to templo Cathedrali convenerant, ubi
 Cardinalis Montanus ex Legatis præci-
 pius cunctis, qui pro pace ac Ecclesiæ
 concordia preces ad Deum funderent,
 pœnarum condonationem promulgavit,
 remque divinam de Spiritu sancto pere-
 git, qua absoluta Cornelius de Muys
 seu Mussus, ex Ordine Fratrum Mino-
 rum Bitunti in Neapolis Regno Episco-
 pus orationem habuit, quæ tamen Pa-
 tribus minus probabatur, quamvis hic
 Præ-

Sæc XVI. Præsul ceteris eloquentia præcellere
 A C 1545. crederetur.

§. II.

*Bituntini Episcopi oratio ad Synodi
 initium habita.*

Philipp 4. Præprimis Bituntinus Episcopus ora-
v. 11. tioni suæ illa D. Pauli verba præfi-
2. Cor. 6. v. 3. xit: *Gaudete in Domino . . . Ecce nunc*
Labbe Coll *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*
Concil. p. 490 Præmissis hisce verbis ostendit, quod
Pallav. l. c. summa necessitas Synodi convocatio-
c. 18. nem suaderet, ut refloresceret pietas,
 quæ ob diuturnitatem temporis, quæ
 nulla Concilia fuere celebrata, in Chri-
 stianorum cordibus languere, ac ferme
 extingui cœperat. Postea enarrat com-
 moda, quæ Christi Ecclesiæ ex Synodis
 accrevere, quot, inquit, *in Concilio*
fidei Symbola sunt facta, hæreses damnatae,
mores emendati, ac nationes Christianæ rur-
sus unitæ? Post hæc hic Orator ex Ro-
 manæ Curia sententia proferebat quæ-
 dam de exercitibus ad recuperandam
 terram sanctam contra infideles con-
 scriptis, nec non de Regibus atque Im-
 peratoribus folio deturbatis, & de aliis
 rebus, quas ego silentio prætereo, nec
 illas hic Episcopus tanquam Vir erudi-
 tus unquam argumenti loco allegare de-
 buisset, quia corruptelæ nullo unquam
 tempore juris vim obtinere valent. In-
 fu-

super idem proluxa admodum excursione in Pontificis laudes facta, etiam aliqua licet verbis sat paucis in commendationem Cæsaris afferebat, & tandem trium Cardinalium Legatorum merita deprædicabat, demum sermonem ad Prælatos convertens agebat, *non aliud esse aperire januas Concilii, quam aperire portas Paradisi, unde aqua viva descendit ad terram scientia Domini saturandam: Patribus igitur de emendatione sollicitis cor aperiendum velut terram aridam ad irrogationem eam accipiendam: si id cordi non habeant, Spiritum sanctum nihilo minus aperiturum illis os, sicut Caiphæ & Ballaam, ut errante licet Concilio Ecclesia sancta non erret.* Tandem illos hortabatur, quatenus omnes seponant mentis affectus, ut vere ab iis usurpari possit illud: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Insuper Concilium æquiparabat Equo Trojano, hædosque ac cervos, sylvasque & nemora, ad personandam eorum lætitiâ invitabat, totque alias allegorias non minus insipidas quam risu dignas congeffit, ut omnes auditores hunc sermonem carperent, illi vero, qui emunctioris naris erant, non sine indignatione recederent (*).

§. III.

(*) Videatur omnino Pallavicinus, qui Petrum

trum

Sæc. XVI.
A.C 1545.

§. III.

Sessio I. Concilii Tridentini.

*Labbe &
Pallav. l. c.*

Finita hac oratione ex Legatis præcipuus quasdam orationes in rituum libro, seu Romano, ut vocant, *Ceremoniali* præscriptas recitavit, præcipue vero illas preces, quæ ab his verbis *Adsumus Domine sancte Spiritus*: incipiunt, alta voce persolvit. Postea decantatis Litaniis Diaconus Evangelium ex decimo octavo S. Matthæi capite desumptum perlegit, ab his verbis incipiens: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum &c.* Pallavicinus tamen testatur, quod *reapse decantatum fuerit Evangelium S. Lucæ, ubi septuaginta duo Discipuli a Christo eliguntur.* Cantabatur etiam Hymnus de Spiritu sancto, cunctisque Patribus suas sedes occupantibus Alphonsus Sorilla, qui Cæsareæ Majestatis Legato ab epistolis erat, Principis sui literas produxit, ac pro ipsius absentiae causa allegavit adversam valetudinem, qua Venetiis erat obrutus. Prælegebantur ergo hæc literæ clara voce, allatamque Oratoris excusationem Cardinales Legati æquam esse censabant. His peractis Synodi Præses De-

cre-

trum Suavem, ex quo Continuator hæc descripsit, egregie confutat, ac mendacii redarguit.

cretum, seu potius Synodicæ indictionis ^{Sæcul. XVI.}
 Bullam recitavit, ac sermone ad Patres ^{A.C. 1545.}
 converso illos his verbis allocutus est:

*Placetne vobis ad laudem & gloriam sanctæ
 & individuae Trinitatis, Patris, & Filii,
 & Spiritus sancti, ad incrementum & ex-
 altationem fidei & Religionis Christianæ, ad
 extirpationem hæresum, ad pacem & unio-
 nem Ecclesiæ, ad reformationem Cleri &
 populi Christiani, ad depressionem & extin-
 ctionem hostium Christiani nominis decernere
 & declarare, sacrum Tridentinum & gene-
 rale Concilium incipere, & incæptum esse?*
Responderunt: Placet.

Postea subjunxit Præses: *Cum proxi-
 ma sit celebritas Nativitatis Domini nostri
 Jesu Christi, & subsequantur aliæ festivi-
 tates labentis & incipientis anni, placetne
 vobis primam futuram Sessionem habendam
 esse die Jovis post Epiphaniam, quæ erit
 septima mensis Januarii, anno Domini mil-
 lesimo quingentesimo quadragesimo sexto?*
Responderunt: Placet.

His ita approbatis Hercules Seve-
 rolus Synodi Promotor a Claudio de
 la Cara Verdunensis Diœcesis Clerico
 petiit, ut Scribæ instrumentum de re-
 bus hisce gestis conficerent.

Sæcul. XVI.

A. C. 1545.

§. IV.

Adhortatio Legatorum ad Synodi
Patres.

Labbe Coll.
Concil. t. 14.
p. 734.
Pallav. c. 17.
n. 5.

Posthæc Legati Apostolici de proxima Synodo, nec non de debita ibidem agendi ratione prolixam admodum adhortationem habebant, ac præprimis ita perorabant: Cum ipsa muneris nostri ratio, qui in hac sancta Synodo præsidentium, & Sedis Apostolicæ Legatorum personam gerimus, hoc postulatum videtur, ut crescentibus negotiis, quæ in hoc sacro consessu ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem sunt expedienda, sæpius apud vos cohortandi & commonendi causa verba faciamus; tum vero in hac prima Sessione, quæ felix, ut speramus, principium ipsi Concilio est datura, minime hoc a nobis prætermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod cum vos vel hortamur, ut ea faciatis, quæ digna tanto conventu sint, vel a contrariis dehortamur, nosmetipsos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quasi navi vobiscum sumus, iisdemque periculis, quibus vos, & iisdem tempestatibus subijcitur. Nosmetipsos, inquam, excitamus ad vigilandum, ne vel in scopulos incidamus, qui plurimi procul dubio in hoc cursu sese offerent: vel magnitudine negotiorum, tanquam fluctuum obrui nos negligentia nostra patiamur: verum Spe & Fide erecti eo naviga-

tio-

tionem dirigamus, quo maxime portus salutis ad Dei gloriam in Christo *Jesu* sese ostendet. Sæc. XVI.
A.C. 1545.

Demum exponunt rationes, ob quas Papa hoc Concilium celebrare statuat, easque ad tres reducunt, quarum prima erat, ut hæreses extirparentur, II. Disciplina Ecclesiastica, moresque reformarentur, III. denique totius Ecclesiæ pax ac concordia restitueretur.

Ut vero, ita prosequerentur Legati, huic pio consilio prosper adspiret successus, nos ipsos admonendos duximus, ne cogitemus, quod vel per singulos, vel per universum Concilium malis, quibus grex Christi est oppressus, provideri possit, sed hoc solius est Christi Domini, quem Deus Pater nobis Pastorem dedit, cui etiam omnem potestatem dedit; si enim putamus, hoc a nobis perfici posse, divinam iram magis provocabimus, imo etiam adjungemus ad superiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quod ipsum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, de quo Deus per ipsum Prophetam incusat populum suum, dicens: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas: Tales vero cisternæ sunt consilia, quæ a nostra prudentia non afflata divino Spiritu proficiuntur, quæ populos in pietate & observantia tanquam aquas in cister-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Z nis

Sæcul. XVI. A.C. 1545. *nis continere non valent. At si verum fo-
teri volumus, nos horum trium malorum,
quibus Ecclesia est oppressa, magna ex par-
te caussa fuimus. Primum examinemus ini-
tium hæresum; quamvis enim nullius hæ-
resis auctores fuerimus, cum tamen perversæ
de fide sententiæ tanquam vepres quædam
sint & spinæ, quæ in agro ortæ sunt, tamen
qui non coluit, nec seminavit agrum, nec pul-
bulantes spinas extirpavit, non minus qui-
dem principium illis dedisse dicendus est, quam
si ipsa seminasset.*

*Veniamus ad secundum, quod lapsam
morum disciplinam complectitur. Hic vero
nihil attinet diu investigare, quinam tanto-
rum malorum auctores fuerint, cum præter
nos ipsos nequidem nominare ullum alium au-
ctorem possimus: Si autem tertium, nempe
arma vel domestica, vel externa considera-
mus, fatendum est, quod hæc sint Dei fla-
gella, quibus nos affligit, quia duorum prio-
rum capitum rei sumus. Hæc vero non
commemoramus, ut vos confundamus, sed
ut hortemur, quatenus sæpius nostra & po-
puli atque Patrum peccata confitentes ad pa-
nitentiam & implorationem divinæ miseri-
cordiæ omnes excitemur; nisi enim hæc fecerimus,
frustra intramus in Concilium, frustra
invocamus Spiritum sanctum, Deum
etiam Patres admonemus, ut caveant ab ip-
sis animi passionibus, & ab omni contentio-
ne abstineant: Oratores vero Principum
hor-*

hortamur, ut Principibus serviant, ut ser- Sæcul. XVI.
vi Dei, non servi hominum. Primum ve- A. C. 1545.
ro serviant uni Regi Christo, dein propter
eum omnibus, nilque nisi honorificum & ad
publicam utilitatem spectans proponant, nec
ad gratiam hominis alicujus loquantur, nec
ad odium cujusquam sententiam proferant,
cunctaque faciant, quæ ad bonum & pacem
Ecclesiæ cedere possunt. Denique nil nisi
gloriam Dei respiciant, cum ipse unacum
sanctis Angelis, atque universa Ecclesia
cuncta nostra opera ac consilia dispiciat.

Absoluta hac oratione Synodi Præ-
ses proximæ Sessioni septimam Januarii
diem præstituit, ac cuncta hucusque
gesta in tabulas referri jussit, demum ve-
ro cuncti decantato hymno Ambrosiano
ob felix auspiciam solemnes Deo gra-
tias exsolverunt, ac Legati deposito
Pontificio apparatu domum reversi sunt,
quibus Crux præferebatur, eosque Tri-
dentinus Cardinalis, quatuor Archiepi-
scopi, viginti duo Episcopi, & supremi
quinque Ordinum, scilicet I. Minorum
Observantium, II. Conventualium, III.
Eremitarum S. Augustini, IV. Carme-
litarum, V. S. Mariæ Servorum Præ-
positi Generales comitabantur. Hos se-
quebantur Castell-Altus, & Antonius
Queto ambo Romanorum Regis Orato-
res unacum uno Rotæ Auditore, nomi-
ne Sebastiano Priglino. Porro ex his

Sæcul. XVI. bus eo tempore Congregatorum nume-
A C. 1545. rus constabat: protinus vero Legati da-
 tis Romam literis, quid demum circa
 Ministrorum nominationem agendum
 esset, a Papa instrui petebant, simul-
 que Synodum fuisse inchoatam eidem
 nuntiabant.

§. V.

*Quædam Statuta in proxima gene-
 rali Congregatione proposita.*

*Raynald. hoc
 ann. n. 43.
 Pallav. l. 5.
 c. 1.* Die decima octava Decembris, quæ
 erat feria sexta, primam Congre-
 gationem generalem Cardinalis Monta-
 nus ex Papæ Legatis præcipuus insti-
 tuit, precibusque, quæ incipiunt: *Ad-
 sumus Domine sancte Spiritus*, alta voce
 recitatis sequentes proposuit articulos:
 I. *Omnes Synodi Patres semetipsum componant in vita & moribus, ut studeant placere Deum precibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus.* II. *Episcopi & Sacerdotes saltem in hebdomada celebrent Missam semel.* III. *Familiares nostri sobriè, caste, pacifice & sancte vivant, numerus eorum non sit excessivus.* IV. *Statuatur dies ad celebrandam Missam in qualibet hebdomada in Collegiatis Ecclesiis, cum aliqua indulgentia pro celebrante, & interessentibus, prout servatum fuit in recentioribus Conciliis.* V. *Concilium sit securum, & liberum in veniendo, manendo, recedendo, & sen-*

sententiis dicendis. VI. Fiat provisio eo-
rum, quæ pertinent ad sustentationem no-
stram, & sunt humano victui necessaria.

VII. Honesto pretio conducantur hospitia,
atque honesto pretio vendantur, & emantur
res. VIII. Statuantur Magistratus ad jus
dicendum, continendumque in officio bonos,
malos vero puniendum. IX. Deputentur

Officiales Concilii, prout sunt Abbreviato-
res, Secretarii, Advocati, Promotores,
aliique Cantores, & aliquis Impressor. X.
Conducatur etiam aliquis Medicus insignis.

XI. Constituatur ærarium a sanctissimo D.
N. pro multis, & variis, & necessariis
expensis ordinariis & extraordinariis, quas
fieri continget. XII. In loco, in quo ha-
bemus Sessiones, distinguantur sedilia pro
Prælatiis, secundum dignitatem & gradus
cujuslibet, & pro Oratoribus Principum
Laicis, qui non sunt admiscendi cum Præ-
latis indutis Pluviali & Mitra. XIII. Sta-
tuatur ordo omnium sedentium in Concilio,
ne oriantur contentiones inter eos cum scan-
dalo Laicorum. XIV. Declarentur, quæ
personæ sunt admittendæ ad dandam vocem
consultivam, vel deliberativam, vel utram-
que. XV. In qualibet Sessione sit unus
Concionator, & qui voluerit subire onus,
det nomen. XVI. Materiam, de quibus erit
tractandum in Congregationibus & Sessio-
nibus, examinentur prius, & decernatur.

Sæcul. XVI. quomodo, & qualiter, & per quos erunt
A. C. 1545. examinandæ.

§. VI.

Concilio Ministri a Papa nominati.

Pallav. l. 6. c. 1. n. 2. &c. Porro Papæ Legati postulabant, ut illi, qui in Synodo munera obirent, Romæ designarentur; Patribus enim haud satis perspecta erant nomina, ac merita eorum, qui ad ejusmodi officia idonei forent, ac proin par esset, ut summus Pontifex tales viros, quorum mores atque ingenium idem optime noverat, ex aula Romana nominaret. Seligebatur ergo præprimis in Synodi Advocatum Antonius Gabriellus Jurisprudentiæ fama longe celeberrimus, cum vero corporis habitudine admodum imbecillis Tridentini aeris inclementiæ sese exponere non auderet, oblatum munus acceptare recusabat, unde ei suffectus est Achilles Grassius, patria Bononiensis: officium vero Abbreviatoris collatum fuit Hugoni Boncompagno. Equidem Papa Marcum Antonium Flaminium inter Latinos illius ævi Scriptores illustrem Synodo a secretis esse voluit, verum rursus ille hoc onus subire detrectavit, nec tamen illius repulsa Patribus displicuit, cum enim ejus doctrina Patribus esset suspecta, haud temere illum novis erroribus favere pertimesce-

ſcebant, quapropter ei ſubrogabatur ^{Sæcul. XVI.}
Michael Cervinus Cardinalis S. Crucis. A.C. 1545.

Ceterum ex Patribus nonnulli querebantur, quod Pontifex ſuos ſibi Miniſtros eligendi poteſtatem Concilio adimeret. Verum horum queſtus mox ſedavit Synodi Præſes, eiſdem exponens, quod Pontifex hos Miniſtros duntaxat nominet, non autem Patres eligendi libertate privaret, ſed potius talem electionem iſtis magis expeditam redderet.

Hiſce igitur articulis ita a Præſide propoſitis Hieronymus Oleaſter Ordinis Prædicatorum Theologiæ Magiſter Luſitanix Regis nomine orationem habuit, ſimulque hujus Principis literas Patribus tradidit. Oratione, quæ haud prolixa erat, demum absoluta, primus Patrum Legatus præſatas Regis literas die vigefima quarta Julii Eboræ datas prælegi juſſit. In hiſ inter cetera Rex hæc expoſuit: *Magnæ mihi voluptati fuit, ea vos animorum conjunctione conveniſſe ad ſacri Concilii celebrationem, ut Eccleſiæ Catholicæ præſidio ac ornamento eſſe poſſitis, certi enim ſumus, quod conſtituatis ea, quæ ad conſtituendam Chriſtianæ Religionis auctoritatem, ad reſtituendam veterem morum diſciplinam, ad totius denique rei publicæ pacem & tranquillitatem ſpectare videbuntur. Ne vero quam occaſionem prætermitt-*

Sæcul. XVI. *terem declarandæ animi mei ad eam rem pro-*
A. C 1545. *pensionis, Legatos isthuc meos destinavi, qui*
cum in apparatu suæ profectiōnis diuturnio-
rem moram mihi facere viderentur, præmissi
ad vos interim tres Religiosos Fratres Do-
minicanos S. Theologiæ Magistros, quos inter
alios Legatorum comites a me selectos cele-
rius isthuc venire volui, ut sacrosancto Con-
cilio obsequii mei firmitatem patefacerent, &
vobis consilii mei rationem exponerent.

Perlectis hisce literis Cardinalis Le-
gatus Lusitani Regis pietatem, ac fide-
studium amplissimo prorsus elogio cele-
bravit, privatimque Hieronymo signifi-
cavit, quod ejus præsentia ob notam il-
lius probitatem ac doctrinam Patribus
admodum grata esset; quamvis autem
hic Religiosus, usque dum ceteri a Re-
ge nominati adventarent, tanquam Lu-
sitanus Orator recipi petisset, eo quod
eorum adventus longiorem adhuc mo-
ram pateretur, nihilominus hæc præro-
gativa Hieronymo fuit denegata, cum
Regis literæ de ejus legatione nullam
mentionem facerent: sancitum tamen,
quod ei præ ceteris singularis honor tri-
bueretur.

§. VII.

Altera Patrum Congregatio.

Pallav. l. 6. Postera Sabbati die decima nona ejus-
s. I. n. 9. & 10 *dem mensis altera habebatur Con-*
gre-

gregatio, in qua Aquensis Archipræ-
 ful atque Agdensis Episcopus Pontifi-
 cios Legatos accefferunt, supplices, ut
 rerum deliberatio usque ad Regis Fran-
 ciæ Oratorum adventum differretur,
 quibus tamen in Congregatione die vi-
 gesima secunda Decembris celebrata co-
 miter responsum, ac injunctum fuit, ut
 suo Regi exponerent, quantum Christia-
 næ Reipublicæ intersit, ut Oratorum ac
 Præfulum adventus maturaretur, nec
 inde Tridentini Concilii celebratio re-
 tardaretur.

Feria tertia die vigesima nona De-
 cembris alia indicta erat Congregatio,
 in qua duo condebantur Decreta, in quo-
 rum primo Abbatibus, nec non Ordini-
 num Generalibus in præfenti Concilio
 suffragii non modo consultivi, ut vocant,
 sed & decisivi jus adstruebatur (*), al-
 tero autem Decreto tres eligebantur
 Prælati, quibus Episcoporum nomina
 ac mandata inspicere, & illis sedes suas
 designare, nec non ad evitandas lites
 ac contentiones Principum Oratoribus
 sedendi prærogativam significare in-
 cumberet, ita tamen, ut hac super re

Z 5

nihil

(*) Hanc in rem Natalem Alex. Hist. Ec-
 cles. Sæculi XVI. Diss. 12. n. 7. consule.

Sæcul. XVI. nihil decidant, sed in Congregatione
A.C. 1545. generali controversiam, si quæ oritura
 foret, Synodi Patribus referant.

§. VIII.

Legatorum postulata ad Papam.

Pallav. l. c.
n. 7.
Raynald.
ann. 1545.
n. 47.

His ita sancitis Legati datis literis de
 iis, quæ post inchoatam Synodum
 gesta fuerunt, Papam certiores reddi-
 derunt, simulque ab eo sciscitabantur,
 quisnam ordo sit servandus in recipien-
 dis Oratoribus, quave ratione suffragia
 essent colligenda; an nimirum recen-
 senda forent ex nationum numero, pro-
 ut in Constantiensi ac Basileensi Conci-
 lio non sine ingenti tumultu factum fue-
 rat, vel an potius sigillatim cuilibet li-
 bera relinqueretur suffragandi facultas,
 atque iis, quæ major pars decreverit,
 standum foret, prout in Synodo Late-
 ranensi sub Julio II. & Leone X. sum-
 mis Pontificibus factum legimus. Præ-
 terea interrogabant, utrum generatim
 de hæresi, vel potius de singulis sectis
 agendum, nec non an erronea doctrina
 unacum illius Auctoribus condemnan-
 da sit, quave scribendi norma, sigillo, ac
 Decretorum suorum titulis Concilium
 uteretur?

§. IX.

§. IX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1545.*Responsum Pontificis ad Legatorum
postulata.*

Priusquam Pontifex ad cuncta Lega-
torum Cardinalium postulata re-
sponderet, Romæ Cardinales, aliosque
Curiae Ministros convocavit, ac Lega-
torum literis mature discussis unanimi
suffragio hæc ipsis mandata transmisit.

I. Nihil adhuc speciale decidi potest cir-
ca ordinem in Concilio servandum, cum
de re adhuc dubia agatur: in dandis
tamen suffragiis observetur ordo in nu-
pero Concilio Lateranensi præscriptus,
ubi quilibet viritim suum dabat suffra-
gium. II. Religionis articuli discu-
tiantur, ita tamen, ut perversa dam-
netur doctrina, non autem illius Au-
ctores. III. Proscribantur non modo
magis generales, sed etiam particula-
res Propositiones, quæ passim hodie
diffeminantur, quibusque novæ hære-
ses tanquam suis fundamentis innitun-
tur. IV. De reformandis moribus nec
ante dogmatum discussionem, nec simul
cum ipsis agatur; cum hæc sit minus
præcipua Synodi causa, hoc tamen
observetur adhibita ea cautela, quate-
nus ad reformationis negotium statim
procedatur, quamprimum præcipua
Sy-

Alex. Natal.
hist. Eccl. p. 4.
Sæc. XVI.
Diff. XII.
p. 81.

Sæcul. XVI. Synodi negotia erunt discussa, insuper
A.C. 1545. id a Patribus communi consensu decer-
 natur, ne suspicandi ansa quibusdam
 præbeatur, perinde ac si causam, quæ
 morum emendationem tangit, negligere,
 vel usque ad Concilii finem differre
 velimus. V. Si quædam Præfulum
 controversiæ seu querelæ adversus Ro-
 manam Aulam moventur, iidem Præ-
 fules audiantur, non eo fine, ut ipsis
 satisfiat, sed ut summus Pontifex de iis
 certior fiat, & opportunius remedium
 adhibeat (*). VI. Cunctis literis, ac
 Concilii actis Patrum nomine conscri-
 bendis præfigatur nomen trium Lega-
 torum tanquam Præsidum, nec non
 Pontificis, cujus personam gerunt, ita
 tamen, ut manifestum fiat, quod Sancti-
 tas sua omnem auctoritatem habeat (**),
 qua-

(*) Minus fideliter Continuator hunc articu-
 lum ex Alexandro Natali, quem allegat, descri-
 psit; hic enim ita habet: *Audienda libenter,
 quæ adversus Romanam Aulam objicerentur, &
 Patrum, Nationumque consilia, ut facta de iis
 ad summum Pontificem relatione, opportunius
 ille remedium adhiberet, ut apud se statuerat.*

(**) Hæc verba Continuator malitiose de suo
 addidit, ut veluti ex proprio Pontificis ore ac
 mandato comprobata reddat calumniam suam,
 qua sæpius Pontifices impetiit, perinde ac si Sy-
 modi Patribus omnem libertatem auctoritatem-
 que

quapropter Synodi acta omnium trium Sæcul. XVI.
 aut saltem primi Legati sigillis firmen- A. C. 1545.
 tur, Decreta vero hunc in modum inci-
 piant: *Sacrosancta Oecumenica & genera-
 lis Tridentina Synodus in Spiritu sancto le-
 gitime congregata, Præsidentibus in ea A-
 postolicæ Sedis Legatis.*

Insuper Papæ Legatis fuit injun-
 ctum, ut ea, qua poterunt, prompti-
 tudine, nisi saltem aliter in mandatis
 fuerit datum, negotia expediant, suum-
 que tempus utiliter impendant, hac-
 que via cunctas longiorem moram car-
 pentium calumnias prævertant. Postea
 iisdem Legatis data est quasdam
 indulgentias concedendi facultas, ita
 tamen, ut hæc quasi a Concilio concef-
 sæ non appareant, cui desuper nullum
 jus,

que abrogarent, cuncta vero pro summo impe-
 rio in Conciliis deciderent. Exinde autem elu-
 cet, quam caute legendus sit Continuator, qui
 Catholicus videri cupit, subinde tamen non-
 nulla subdole inspergit, quibus calumniandi ar-
 gumenta heterodoxis suppeditat. Ceterum
 Raynaldus hoc anno n. 47. hæc Papæ mandata
 referens hunc articulum ita recenset: *Literæ
 Legatorum consignentur, ita, ut non solum
 Pontifex Concilii convocandi auctor, sed etiam
 summam in eo perducendo auctoritatem præfer-
 re appareat.*

Sæcul. XVI. A.C. 1545. jus, nec ulla auctoritas competit (*). Denique eosdem Papa hortabatur, quatenus Præsidum dignitatem eo splendore, qui Sedis Apostolicæ Legatis debetur, sustinerent, quin tamen iniquam offenderent, præcipue vero solliciti essent, ne Præsules ullo pacto honestæ libertatis limites excedant, vel ab obsequio Sedi Apostolicæ debito deflectant: cum autem horum non pauci ob nimiam facultatum inopiam in Synodi loco propriis suis expensis subsistere haud possent, hinc Papa literas Apostolicas expediri iussit, vi quarum hosce Præsules a decimarum solutione exempt, iisdemque proventus omnes, atque emolumenta, perinde ac si in suis Diæcesibus præsentibus essent, percipere concessit. Præterea duo aureorum millia pro sublevanda egenorum Præs-

(*) Rursus Continuator de suo addidit verbum: *nullum*, cum tamen Odoricus Raynaldus l. c. ita habeat: cui *summum* jus non competit, ita, ut absque Papa vivente Concilium etiam generale quibusvis fidelibus vivis & defunctis quaslibet indulgentias concedere posset. Vid. Barbof. de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 88. n. 16. Suarez disp. 55. sect. 1. n. 7. Bellarm. lib. 1. c. 11. Diana part. 10. tract. 6. resol. 12. Layman l. 5. tract. 7. cap. 5. n. 1.

fulum necessitate Legatis Cardinalibus Sæcul. XVI.
A.C. 1545.
transmisit, idque ut publice innotesce-
ret, illis haud prohibuit, cum tantam
liberalitatem potius in honorem Ponti-
ficis cedere, ejusque pietatem, ac Sy-
nodi membris subveniendi studium de-
prædicari arbitraretur (*).

§. X.

*Cardinalium Senatus a Paulo III.
auditus.*

Tertia post inchoatam Synodum die, *Ciacon. in*
quæ erat decima sexta Decembris, *vit. Pontif.*
Paulus III. Pontifex maximus quatuor *t. 3. p. 707.*
Prælatos sacro Cardinalium Collegio *& seq.*
adscriptis. Horum primus erat Geor-
gius de Ambasia, natione Gallus, Geor-
gii Ambasiani Rothomagensis Archie-
piscopi Nepos, qui eadem Archiepisco-
pali

n. 1. Kazenberger in append. alphabet. verbo
de Indulg. num. 19.

(**) Hæc Continuator ex suo Paulo Suavi
defloravit, qui tamen paulo modestius rem ita
profert: *Aureos bis mille dono dedit, licet id
publice ut innotesceret, non laborans, quod cre-
deret, id non posse in aliam partem accipi, nisi
ut benignum atque humanum capitis Concilii in
ejusdem membra officium.*

Sæcul. XVI. A C. 1545. pali sede decoratus nominabatur Cardinalis Presbyter titulo SS. Marcellini & Petri. II. Henricus Emanuelis Lusitanæ Regis, & Mariæ de Castella filius, Ulyssiponenfis Archiepiscopus eligebatur Presbyter Cardinalis titulo quatuor Coronatorum. III. Petrus Pachecus natione Hispanus ex illustrissima Villenæ Marchionum familia ortus, Pampelonensis Episcopus assumebatur in Presbyterum Cardinalem titulo S. Balbinæ. IV. Ranutius Farnesius Melitenfis Eques, ac Neapolis Archiepiscopus renuntiabatur Cardinalis Diaconus titulo S. Luciae.

§. XI.

Parisi Cardinalis obitus.

Ciac. l. c. p. 667.
Ant. Sander. in elog. Card.
Aubery vie des Card.

Quatuor hi Cardinales recens electi totidem Purpuratorum, qui hoc anno obierunt, sedes occupabant. Ex his primus erat Petrus Paulus Parisius natione Italus, Cosentiae celeberrima Calabriae citerioris urbe natus. Hic Patavii ac Bononiae cum summo applausu Jurisprudentiae præcepta interpretatus est, indeque tantam sibi nominis famam comparavit, ut a Paulo III. Romam accersitus primo Rotæ Romanæ Auditor, ac demum die duodecima Decembris anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo nono

nono Cardinalium Collegio adscribere-
tur. Administrabat insuper in Neapo-
lis Regno Nuscanam & Anglonensem
Ecclesias: dum vero Paulus III. Orato-
res suos Genuam ad Carolum V. Impe-
ratorem decreverat, ipse etiam Parisius
unacum Marcello Cervino sanctæ Cru-
cis Cardinale hac legatione fungebatur,
& tandem die Sabbati nona Maji an-
no ætatis suæ septuagesimo secundo re-
bus humanis valedixit, sepultus in Ec-
clesia ad S. Mariam Angelorum, ubi
Flaminius Parisius Bituntinus Episco-
pus ejus nepos marmoreum tumulum e-
rigi curavit, appositæque inscriptione se-
pulchrali defuncti virtutes & amplissimas
animi dotes recensuit. Scripsit hic
Cardinalis quatuor Conciliorum volu-
mina, nec non quasdam quæstiones in se-
cundum Decretalium librum præter
Commentaria in quatuor Juris civilis li-
bros.

§. XII.

Caspari de Avalos Cardinalis

MORS.

Alter, qui hoc anno e vivis excefferat, *Ciac. p. 688.*
erat Casparus de Avalos Murciæ in *Aubery l. c.*
Hispania ex Petro de Avalos, & Anna
de Agueros parentibus natus. Hic
Philosophiæ ac Theologiæ curriculo in
Parisiensi Universitate percurso in pa-
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Aa triam

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

Sæcul. XVI. A. C. 1545. triam suam reversus Theologiam publice tradidit, eaque exercitatione insignis primo Murciensis Ecclesiæ, postea Episcopus Gerundensis, & Archiepiscopus Granatensis, ac demum Compostellanus est renunciatus, & paulo post die decima nona Decembris anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quadragésimo quarto, quantumvis absens, ad Caroli V. preces a Paulo III. Cardinalibus fuit adscriptus, verum sequenti anno die secunda Novembris in Hispania supremum diem clausit, & terræ mandatus fuit Compostellæ in sacris S. Jacobi ædibus. Hic Cardinalis Granatæ, cui Ecclesiæ duodecim annis præfuit, Universitatem erexit, nec non S. Catharinæ Collegium, ac Monialium S. Francisci Monasterium annuis redditibus dotavit, atque ad religiosam vitam in eis ducendam præcepta conscripsit.

§. XIII.

Joannes Tavera de Pardo Cardinalis mortuus.

Ciac. p. 520.
Aubery l. 6. Tertius erat Joannes Tavera de Pardo die decima sexta Maji anno Domini millesimo quadingentesimo septuagesimo secundo Salmanticæ in Hispania natus, ac Patrem habuit Aros de Pardo, Matrem vero Guimaram de Tavera: Is in

in pueritia a Patruo suo Didaco de De-
za Hispalensi Archiepiscopo paterna ve-
re cura in pietatis studio educatus ad
Salmanticensem Academiam mitteba-
tur, ubi tam amplios in literis progressus
fecerat, ut prima Doctoratus Laurea in
Jure Põntificio creatus unanimi omnium
suffragio Universitatis Rector eligeretur.
Postea eruditionis suæ fama sibi Ferdi-
nandi Catholici favorem conciliabat,
atque ab eodem Rege sanctæ Inquisitio-
nis Consiliarius, Hispalensis Canonicus,
ac generalis sub Patruo Archiepiscopo
Vicarius fuit nominatus. Obtinebat
etiam civitatis Roderici Episcopatum, ac
postea Legionensem & Oxomensem Ec-
clesias, tandem vero Compostellanum
Archiepiscopatum: nec minus fungeba-
tur perhonorifica ad Lusitaniæ Regem
legatione, inde vero redux a Carolo V.
qui Ferdinandi Regna hæreditatis jure
obtinuit, regii Senatus Castellani Præ-
ses fuit nominatus, cum autem idem Im-
perator ad accipiendam Imperii coro-
nam in Italiam contenderet, hic Cardi-
nalis ab Imperatrice, quæ in Hispaniis
remanens Regni Gubernatrix erat con-
stituta, in omnibus ad bonum regimen
spectantibus in consilium fuit adhibitus,
quapropter idem Imperator, ut suum er-
ga Taveram affectum testificaretur, si-
mulque præstita obsequia digno com-

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

Sæcul. XVI. pensaret præmio, non solum a Clemen-
A.C. 1545. te VII. anno Christi millesimo quingen-
 tesimo trigesimo primo sacram eidem
 purpuram procuravit, sed eundem quo-
 que Toletano Archiepiscopatu auxit, ac
 supremum Inquisitorem constituit, quo
 munere Cardinalis tanto zelo ac con-
 stantia functus est, ut ipsius etiam Cæ-
 saris, qui reum quemdam absolvi petie-
 rat, voluntati læsa æquitate acquiescere
 renueret: dum vero idem Imperator in
 Belgium profectus erat, huic Cardinali
 non modo Castellani ac Legionensis Re-
 gni regimen, sed ipsius etiam Cæsarei
 Principis Philippi tutelam commisit.
 Nec tamen propterea Cardinalis gregi
 suo defuit; quippe ipse bina vice To-
 letanam suam Diocesim iustravit, ibi-
 demque Synodum habuit, ac postmo-
 dum Xenodochium a fundamentis ere-
 xit, assignatis eidem annuis quindecim
 aureorum millibus, nec non idem Xe-
 nodochium omnium suorum bonorum
 hæredem scripsit, ibique post obitum
 sepeliri voluit. Tandem Sabbati die
 prima mensis Augusti, vel juxta quos-
 dam Historicos die vigesima nona Se-
 ptembris annos natus septuaginta tres,
 duos menses & sexdecim dies Vallifole-
 ti animam Deo reddidit.

§. XIV.

§. XIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.*Alberti Cardinalis Archiepiscopi Moguntini extrema.*

Quartus denique erat Albertus Marchio Brandenburgensis Cardinalis titulo S. Joannis Chrysogoni, & Archiepiscopus Moguntinus, nec non Joannis IV. cognomento Magni Brandenburgensis Electoris filius. Is die decima octava Junii anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo natus ex Moguntino ac Trevirensi Canonico Archiepiscopus Magdeburgensis, ac Germaniæ Princeps, & postea Moguntinus Archipræsul renuntiatus est, demum vero die vigesima quarta Martii anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo octavo a Leone X. Cardinalium Collegio adscriptus fuit. Obiit Moguntix hoc anno die vigesima quinta Septembris annos natus quinquaginta quinque, & corpus ejus sepultum quiescit in Ecclesia Cathedrali sub rubri marmoris lapide, in quo hæc duo verba Germanica: *alle gehen nach*: ter incisa leguntur. Cernitur quoque ad unum Chori latus tabula quædam, quæ ejus imaginem repræsentans triginta circiter versus Latinos in ejus laudem compositos exhibet. Porro observatu dignum est, quod post ejus obitum

Aa 3

tum

Sæcul XVI
A.C. 1545

tum nullus ex Principum sanguine ortus ad Archiepiscopalem hanc Ecclesiam fuerit assumptus; cum Canonici ex suo gremio quemdam ad hanc dignitatem eligendi jus omnino intactum conservarent.

§. XV.

*Facultatis Theologicæ Parisiensis
censuræ.*

*Argent. Coll
jud. t. 1. app.
col. 1. p. 14.
Et 15 Et t. 2.
p. 258. Et seq.* Parisiis Facultas Theologica continua immoti, quo sanam doctrinam tuentis fatagebat, studii specimina edidit, ac præprimis feria secunda die decima nona Januarii Conventu apud D. Mathurinum habito comparere iussit quemdam Religiosum nomine Adrianum Metaierum, seu Messorem, qui honores a Doctorum gradu proximos consecutus de Lutheri hæresi suspectus erat: igitur hunc Facultas eo adegit, ut sese Doctorum decisioni submittere polliceretur. Paruit Adrianus, ac die vigesima quarta ejusdem mensis Facultatis judicio suum apposuit chirographum. Postea eadem Facultas discussit iudicii acta, quæ erant instructa adversus Fratrem Joannem Pernocellum Ordinis Fratrum Minorum Alumnum, nam hic non solum in Ecclesia S. Jacobi a Marcello, sed etiam in sacris Divi Pauli ædibus plures propositiones falsas, scandalosas, ambi-

*bigas, & temerarie ac perpenam protatas ad populum dixerat: Cum vero Facultas acculatum ad palinodiam compellere vellet, ipse inducias petiit, sed paulo post ad Protestantium signa transiit. Pariter alius quidam Ordinis Cisterciensis Monachus nomine Nicolaus Boucherat die decima sexta Maji Conventu habito damnatus fuit. Insuper jam antea Universitas, Clerusque Colonienſis transmiſerat ad Pariſienſem Facultatem quoddam de Reformatione instituenda opuſculum, quod credebatur, a Bucero & Melanchtone compositum, divulgatumque sub auspiciis Hermani Archiepiscopi, qui Lutheranæ sectæ affectis impense favebat. Hunc itaque librum Facultas discuffit, suumque desuper judicium pronuntiavit. Sub idem tempus die prima Julii alius quidam Religioſus, nomine Nicolaus Coutan disputationibus scholasticis, actibusque publicis interesse prohibebatur, quoad usque suam vindicasset innocentiam. Denique die decima octava ejusdem mensis Facultas Claudium Guillaud ejusdem Facultatis Magistrum citari jussit, eo fine, ut rationem redderet de libro a se elucubrato, cui titulus: *Collationes in Epistolas D. Pauli, & Canonicas*, eoquod in hoc opere plures invenirentur propositiones falsæ atque hæreticæ: ast Au-*

Sæcul. XVI.
A.C. 1545.

Sæcul. XVI
A.C. 1545
 ctore prius fuga elapso, Facultas illius
 libello proscrispfit, porrectoque libello
 supplici Curiam rogavit, ut Oudino Pe-
 tit Bibliopolæ inhiheret, ne præfatum
 librum venderet aut divulgaret.

§. XVI.

*Epistola Facultatis ad Lovaniensem
 Universitatem.*

*Argent. coll.
 jud. t. 1. app.
 p. 16.* Die vigesima sexta mensis Maji Fa-
 cultas Parisina datis literis Univer-
 sitati Lovaniensi suam in conservanda
 fide studium gratulabatur, his verbis
 usa: *Ex ea, quam nuper ex literis vestris
 in nos conjecimus benevolentiam, Viri Chri-
 stiani, non possumus vobis meritas non ha-
 bere gratias. In primis, quod nos ad id,
 quod muneris nostri erat, gratis impulistis,
 & nostram tanta duxistis dignatione facul-
 tatem, ut, quos olim libellos damnaverat,
 damnandos, & quos probaverat, proban-
 dos judicaretis, unde non satis vestrum in
 Christianam fidem zelum admiramus: qui
 & operæ & sumptui in persequendis hære-
 tics non pepercistis. In quibus si plus æquo
 forte tepuerimus, & ad vestrum optatum re-
 spondere tamdiu distulerimus, nostram excu-
 sationem paucis libenter accipite: Non enim
 vos latere putamus, Viri per celebres, quan-
 tum in tollendis, & abolendis hujusce tempe-
 statis erroribus, & libris erroneis sit diffi-
 cul-*

cultatis id fortasse gravioris, quam lerneæ
 hydræ capita penitus refecare singula: licet
 enim singuli nostrum in his refecandis singu-
 lis nervos intendant, semper tamen alia ex
 aliis præter sententiam nobis emergunt, ut
 neque etiam omnium libere possimus obsequi
 votis: Quod igitur ad nostrum attinet Guil-
 laudum, super cujus erroribus secundæ edi-
 tionis in D. Pauli Epistolas charitas vestra
 ad nos scribere dignata est, quoad potuimus,
 brevius rem absolvimus. Verum, quia
 apud suos Burgundiones Heduos ab Acade-
 mia nostra longe degebat, non potuimus pau-
 cis diebus & ad calculos vocare & compella-
 re Virum. Quia vero de Republica & no-
 stra Heduenſi in persequendis hæreticis bene
 meritus erat, mitius secum, quoad satis ta-
 men faceret, communi omnium ore agere de-
 crevimus. In primis autem omnium, quæ
 temere ediderat, palinodiam cecinit, & se pro-
 xima editione cuncta ad verum fidei calculum
 revocaturum jurejurando promisit: Sacræ
 vero Scripturæ phrasés per Bartholomæum
 Væſthmerum semel atque iterum editas, in-
 dices quoque & pleraque in sacra Biblia per
 Robertum Stephanum annotata, tanquam er-
 ronea damnavimus, eaque si in manus no-
 stras prius incidissent, nullo discrimine dam-
 navissemus. Ceteros vero libellos, qui non-
 dum ad nos delati erant, & quos in dies huc
 affert curiositas, visitare, quod nostri ne-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

Sæcul. XVI. *ſ*otii est, non cessabimus, in Catalogum tandem cum ceteris conjiciendos. Interea valere felices, & quo pede cæpistis, pergite, bravium tandem cum veris Psaltoribus suscepturi. Ex Academia nostra Parisiensi septima Kalendas Septembris anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.

§. XVII.

Ejusdem Facultatis epistola ad Borbonium Cardinalem.

Argent. t. 2. p. 242. **E**xstat alia insuper ejusdem Facultatis epistola die decima octava Martii ad Cardinalem Borbonium Senonensem data, in qua eidem hæc exponit:
 „Nuntiatum nobis est, quod in vestra
 „Diœcesi ac urbe reperiantur de per-
 „versa doctrina suspecti, qui etiam er-
 „roneas propugnant opiniones præci-
 „pue illas, quæ fidem, Sacramenta,
 „auctoritatem Ecclesiæ, ejusque præ-
 „cepta & ritus tangunt; quin imo cer-
 „tiores facti sumus, quod jamjam non-
 „nulli ex vestra Diœcesi ob hæc crimi-
 „na in Parisiensi carcere detineantur:
 „quapropter Eminentia vestra horum er-
 „rorum progressus sistere atque securim
 „ad radicem ponere studeat, ne sermo
 „eorum sicut cancer serpat, præcipue
 „cum modicum fermentum totam mal-
 „sam corrumpat, ac plerumque ejusmo-
 „di

„di sectæ tantopere sese diffundant, at- Sæc. XVI.
 „que invalescant, ut ægre admodum e- A C. 1545.
 „radicari possint, unde maximum Ec-
 „clesiæ, fidei Catholicæ, ac ipsius Fa-
 „cultatis Theologicæ damnum emer-
 „geret, prout quotidiana experientia
 „comprobatum redditur. Hæc igitur
 „ex consilio Liseti primi Præsidis, alio-
 „rumque ad Eminentiam vestram per-
 „scribimus, efflictim rogantes, ut per-
 „niciosis hisce sectis sese opponere, eas-
 „que penitus eliminare velit, suisque
 „Promotoribus, Ministris ac ruralibus
 „Decanis præcipere dignetur, quatenus
 „fidei depositum servare solliciti zizania
 „ex Diœcesi evellant, priusquam bo-
 „num Christi triticum suffocent. Nos
 „quoque hisce Ministris in opem offeri-
 „mus nostram sollicitudinem ac stu-
 „dium, erimusque semper ad vestra pa-
 „rati obsequia.,

Eodem anno Facultas ad Rothoma-
 gensem Curiam transmisit præter libro-
 rum prohibitorum Catalogum etiam
 censuras quarumdam propositionum,
 quæ ab eadem Curia ad Facultatem de-
 ferebantur.

§. XVIII.

Cochlæi Opera contra hæreticos.

Interea Cochlæus indefesso Religionis *Cochl. hoc an-*
 ardore sese hæreticis opponebat, *no p. 310.*
 præ-

Sæcul. XVI
A.C 1545.

præcipue cum Bucerus ad WORMATIENSIS Conventus Principes dirigeret tres libros Germanico idiomate conscriptos, in quibus eos, ut potius nationale quam generale Concilium celebrare postularent, inducere nitebatur, nec minus in eo etiam opere plurima in Papam, totumque statum Ecclesiasticum convitia evomebat, simulque adversus WORMATIENSE & AUGUSTANUM EDICTUM, nec non CONTRA SACRAMENTA, RITUSQUE ECCLESIAE petulanter tumultuabatur, etiam disputationem offerre ausus, in qua se hucusque dicta comprobaturum jactitabat. Itaque COCHLÆUS ingentem hujus hæretici temeritatem indignatus Latinam epistolam ad Principes, urbiumque Catholicarum Deputatos perscripsit, eamque per specialem quemdam nuntium ex EICHSTETTENSI URBE WORMATIAM transmissit. Hos in ea efflictim rogabat, ut a fraudulentis Buceri commentis, ac mendaciis sibi caverent, postea semetipsum ad talionis pœnam obtulit; si hunc hæreticum coram Judicibus non convinceret tam de ejus erroribus in fide, quam de perversis ejusdem moribus: cum autem hæc epistola publice non modo a Catholicis, sed etiam Protestantibus perlegeretur, BUCERUS MOX Latine adversus eam valde prolixum edidit librum; verum haud segnior COCHLÆUS

chlæus itidem Latino sermone Bucero Sæcul. XVI.
A.C. 1545.
respondit, atque ex ejus libro octodecim extraxit propositiones, postulans, ut ejus adversarius cum ipso in arenam descenderet, ac de hisce propositionibus publice coram Judicibus disputaret. Verum Bucerus huic certamini sese subjicere minime audebat.

Eodem anno rursus Cochlæus *Miscellanorum* libros Latine scriptos, qui diversos triginta tractatus continebant, publici juris fecit, ac præter *considerationes de concordia tractatu contra duos Lutheranorum libellos* etiam edidit *velitationem adversus quatuor conjecturas Andreæ Osiandri de fine mundi*. Nec minus vulgavit etiam *replicam in Musculi Anti-Cochlæum de Sacerdotio & Sacrificio novæ Legis*, nec non aliam *in Bullingeri Antibolen*, præter *duas additiones contra tractatum*, quem Bucerus adversus Bartholomæum Latomum conscripsit. Insuper Cochlæus typis imprimi curavit tractatum contra Nycticoracem novi Evangelii, præter duo opuscula, quorum unum de veneratione S. Reliquiarum contra Calvinum, & alterum de concordia Ratisbonæ cum Protestantibus inita contra eundem scripsit: Germano autem sermone edidit apologiam pro Sacerdotio & Sacrificio. Cuncta hæc opuscula, ut inquit Cochlæus, *velut quæ-*

Sec. XVI. *quædam antidota* opponebantur rove
 A.C. 1545. hæresi, quæ in plerisque Sueviæ oppi-
 dis erumpebat, atque antiquos Mani-
 chæorum errores ex parte innovabat.

§. XIX.

*Lutheri scriptum contra XXXII
 Lovaniensium articulos.*

Cochl. p. 311. Pariter Lutherus contra triginta duos
 Bossuet. articulos a Lovaniensibus Theolo-
 Hist. variat. gis propositos Latino ac Germano ser-
 t. i. l. 6. art. mone edidit septuaginta quinque pro-
 34. p. 317. positiones, quas ubique divulgari cura-
 vit, ibidemque præprimis hæc effutire
 ausus est: *Quicquid in Ecclesia Dei doce-
 tur sine Dei Verbo, mendacium & impietas
 est: si idem vero pro articulis fidei statuitur,
 impietas, & hæresis est, cui si quis credit,
 Idololatra Diabolum pro Deo colit, hinc
 ita concludit, septem esse Sacramenta sine ver-
 bo Dei asseritur ab hæreticis, & idololatriæ
 Lovaniensibus. Item, doctrina synagogæ
 Lovaniensium de Baptismate est damnanda,
 ut hæretica. Explodenda item est & abo-
 minanda doctrina Nostrorum Lovanien-
 sium in usu Eucharistice, cum sit profana-
 tionis, hæresis, idololatriarum plenissima.
 Item Missam pro defunctis offerri, hæreti-
 cum est & blasphemum, insigniterque menti-
 tur lerna Lovaniensium, esse a Christo insti-
 tutam. Item consutationes Lovaniensium*
 san-

Sanguinariae & incendiariae, pertinent ad Saecul. XVI, parricidas, non ad eruditionem, quam in A.C. 1545. Sacris Literis prorsus nullam habent, quem quaeso articulum haeresis illi consutarent, qui ipsi sunt pleni & distenti innumeris haeresibus, blasphemis & idololatriis? Deinde nihil ex Scripturis, sed omnia ex doctrinis hominum ructant, vomunt, & cacant in Ecclesiam, non suam, sed Dei viventis. Item, ritus ordinandi sacrificos Missales. id est, Crucifixores Christi, est inordinatio Diaboli. Item Matrimonium esse Sacramentum, sine Vero dicitur, & a Magistris Nostrollis in speculo Marcolfi visum est. Item, Cacolyca verius est Ecclesia Papae & Magistrollorum, Ecclesiae Christi sanguinaria, adversatrix & vastatrix.

Cum autem Lutherus, primus hic reformationis recens natæ Coriphæus, Tigurinos quoque aggredereetur, hinc illi vicissim in eum calamos suos acuebant, atque in libello pariter Latine ac Germanice conscripto hæc inter cetera Luthero objiciebant: *Prophetae & Apostoli, Dei gloriae, non privato honori, non suæ pertinaciae & superbiae studebant: sed peccatorum salutem querebant unice: Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Sathanae tradit, quotquot illius sententiae non illico subscribere velint, & in omnibus correptionibus suis plurimum maligni spiritus,*
quam

Sæcul. XVI. *quam minimum vero amici & paterni inge-*
 A.C. 1545. *nii deprehenditur.*

Enimvero nihil magis furiosum, nihilque magis efferum excogitari potest, quam illud scriptum, quod Lutherus hoc anno contra Lovanienses Theologos, nec non adversus Sacramentarios edidit, unde illius etiam Discipuli non nisi pudore suffusi stupenda hujus hæresiarchæ deliria legunt; quippe in Lovanienses inturgens nonnunquam histrionem seu scurram agit, sed modo tantopere insulto, atque abjecto id præstitit, ut theses suas miserimis verborum lufibus replens loco *Facultas* diceret *Vaccultas*, loco *Ecclesia Catholica* *Cacolyca* *Ecclesia*, eoquod hisce duobus verbis *Vaccultas* & *Cacolyca* ineptam quamdam allusionem ad vaccas, iniquos & lupos (*) se deprehendisse autumaret. Postea ut consuetudinem, qua Doctores appellari solent *nostri Magistri*, in ludibrium verteret, hinc semper Lovanienses appellabat *Nostrollos*, *Magistrollos*,
 in-

(*) An Lutherus ad verba *iniquos & lupos* alludere voluerit, aliorum judicio relinquimus, qui vero linguam Italicam calent, haud difficulter spurcam æquivocationem, quam voci *Catholica* per *ly Cacolyca* Lutherus attribuit, assequi poterit.

insulse existimans, quod ridiculis hisce ^{Sæcul. XVI.}
 diminutivis a se inventis maximum o- ^{A.C. 1545.}
 dium, omniumque contemptum creare
 posset. Ita nempe Lutherus humani-
 tatis oblitus, omnem adeo pudorem
 exuit, ut semetipsum publicæ omnium
 irrisioni exponere non erubesceret, dum-
 modo omnem vindictæ libidinem in
 suos adversarios effrenata petulantia
 evomere posset.

Nec modestius egit Lutherus cum
 Zwinglianis, quamvis & ipsi quosdam
 sectæ suæ articulos adoptassent: cum e-
 nim quamdam Genesis explicationem pu-
 blici juris faceret, ibidem Zwinglium ac
 Oecolampadium accensuit Ario & Mün-
 zero: Anabaptistas vero contulit cum
 idololatriis, qui ex propriis suis com-
 mentis idola sibi effingunt, eaque negle-
 cto Dei verbo adorant. Edidit postmo-
 dum Lutherus succinctam fidei confes-
 sionem, in qua Zwinglii sectatores in-
 sensatos, blasphemos, nullius frugis
 homines & damnatos appellavit, simul-
 que declaravit, quod pro illis preces
 fundere haud amplius liceat: Posthæc
 palam professus est, quod cum illis nec
 ullum in literis, verbis, vel operibus
 commercium habere velit, nisi profi-
 teantur, quod Eucharisticus panis sit
 verum & naturale Corpus Christi Do-
 mini, illudque impii, quin imo ipse
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Bb etiam

Sæcul. XVI. etiam proditor Judas æque ore fumant
A.C. 1545. ac D. Petrus, ceterique probi fideles.
 Hisce calumniis confidebat, quod tandem finem imposuisset scandalosis interpretationibus Sacramentariorum, qui omnia ad suum sensum detorquebant. Denique declarabat Lutherus, quod omnes pro fanaticis haberet, qui postremæ fidei suæ confessioni subscribere renuerent.

§. XX.

Calvini epistola ad Navarrae Reginam.

*Theod. Beza
 in vita Calv.
 hoc ann.
 Inter epist.
 Calv. ep. 62.*

Haud moderatori calamo utebatur Calvinus contra duos virtutis, pietatisque simulatores, qui re tamen ipsa nil nisi perditum ac dissolutum homines sub disciplinæ sanctioris specie sese in Navarrae Reginae amicitiam insinuabant, eamque fanaticis suis deliriis fascinant. Verum forte ambo hi simulatores quadam scribendi ratione magis moderata, nec non argumentis magis solidis sui erroris convinci, ipsa vero Regina ad veritatis semitam reduci potuisset: at Calvinus ferocitas neminem magis docilem reddiderat, Regine vero magis magisque exasperaverat, quapropter per alios adversus eum quæstas, ipsamet literas ad illum perscripsit, in quibus adversarii sui vehementiæ, ac effrenato
 fu-

furori ferme nil nisi animi lenitatem, Sæcul. XVI.
 verborumque moderationem opposuit, A.C. 1545.
 suamque sentiendi rationem vindicare
 fategit, declarans, quod ambos hosce
 Viros, qui tantopere atram Calvini bi-
 lem commoverant, jure merito sua be-
 nevolentia fuerit dignata. Verum Re-
 gina in sua sese fefellit opinione, ignara,
 quod duo hi adulterini Doctores nil nisi
 impii essent pietatis simulatores. Data
 est hæc Reginæ epistola die vigesima A-
 prilis anno post Christum natum mille-
 simo quingentesimo quadragesimo quin-
 to.

§. XXI.

*Initia spuria Reformationis in
Galliis.*

Interea Calvini Sectatores, quamvis *Beza l. 2.*
 occulti delitescerent, sedulo tamen *p. 99.*
 per universam Franciam suos errores
 disseminabant, ac nonnullos ad sua stu-
 dia pertrahebant, quin imo hoc anno
 Parisiis quamdam quasi Ecclesiam, quæ
 progressu temporis excreverat, congre-
 gare incipiebant; quippe Nobilis qui-
 dam Cenomanensis, nomine Ferrierus,
 quamvis incitiam neminem sibi parem
 haberet, novas tamen opiniones scienti-
 æ loco tam immodico studio prosequen-
 tibus, ut relicta patria sua Parisios sese
 reciperet, spe concepta, quod ibidem

Sæcul. XVI. solertiam eorum effugere posset, qui in
A.C. 1545. novos sectarios Cenomani inquirere ju-
 bebantur: Accidit vero ibidem, ut ejus
 uxor, quam secum duxerat, filium eni-
 teretur, verum Ferrierus nullo pacto in-
 duci poterat, ut recens natum per Ca-
 tholicos Sacerdotes adhibitis ritibus
 omni ætate in Ecclesia usitatis sacro
 fonte tingi permetteret, quin imo tam
 insano furore in hos ritus tumultuaba-
 tur, ut illos etiam tanquam impios tra-
 duceret, quin tamen ullam in eis impie-
 tatem demonstrare posset: cum tamen
 filium suum absque sacro baptisinate de-
 cedentem cernere haud posset, ex Se-
 ctariis quemdam, qui infantem ablueret,
 advocavit. Is quidem primo id mune-
 ris obire renuebat, verum Patre preces
 suas ingeminante alter ejusdem petitis
 concessit, atque infans ab hæreticis ba-
 ptisimum recepit: cum autem hi præ-
 sentem casum maturius ponderarent,
 atque ejusmodi eventum rursus imo &
 frequentius accidere posse præviderent,
 ex suis quosdam nominare decreverunt,
 ad quos eorum Sectatores non modo
 pro administrando Baptisinate, sed etiam
 pro aliis necessitatibus recurrere, hi ve-
 ro iisdem satisfacere valerent: Igitur
 præprimis ad hæc officia seligebatur
 Laicus quidam viginti annorum juve-
 nis nomine Rivierus, & postea quædam
 cor-

condiderunt statuta, nec non quemdam Sæc. XVI.
 Senatū *Consistorio*, ut vocant, haud A.C. 1545.
 ab similem crearunt, suæque securitati,
 rectæque administrationi, quantum in
 tam infirmis adhuc sectæ suæ auspiciis
 licuit, prospicere satagebant.

§. XXII.

Hæresis progressus a Cardinale Mantuano in Italia cohibiti.

Pariter hæresis venenum sese in Italia Paul. III.
 diffundere cœperat; quippe in ipsa Brev. ann. 11
 Mantuana urbe Clericorum nonnulli p. 413.
 hac sæce inquinati deprehendebantur, Raynald. hoc
 nec non in publicis disputationibus non- anno n. 52.
 nunquam Christianæ Religionis verita- et 53.
 tes impugnabantur: Verum gravioris
 mali progressus sistebat Mantuani Car-
 dinalis vigilantia, quapropter summus
 Pontifex transmissio ad eundem Diplo-
 mate indefessam illius sollicitudinem
 plurimum commendabat, eique plenam
 in omnes suæ Diœcesis Clericos ac Mo-
 nachos auctoritatem, reosque puniendi
 facultatem indulgit. Data est hæc Pon-
 tificis epistola Romæ die septima Fe-
 bruarii anno salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quadragesimo quinto:
 Cum autem iidem errores Philippo Va-
 lentino hujus nequitiae administro at-
 que artifice Mutinam quoque inficerent,

Bb 3

hinc

Sæcul. XVI hinc summus Pontifex rem edoctus con-
A.C. 1545. festim die vigesima septima Maji datis
 itidem ad Ferrariæ Ducem literis eun-
 dem hortatus est, ut hunc pacis pertur-
 batores comprehendi, atque in vincula
 conjici juberet, hacque occasione probi-
 ac Catholici Ducis officium, quod Deo
 sanctæque Ecclesiæ debet, adimpleret,
 proque sua & Majorum suorum pietate
 & religione fervidum sese exhiberet.
 Annuit Dux Papæ monitis.

§. XXIII.

*Diffidia Papam inter & Florentiæ
 Ducem propter quosdam Reli-
 giosos.*

Joan. Bapt. Adriani hist. ad hunc ann. Verum longe gravius a Cosma Medi-
 cæo Florentiæ Duce agitabatur
 idem summus Pontifex; hujus vero
 contentionis occasio hæc erat. Plures
 Florentini Monarchicum regimen exosi
 pristinam reipublicæ suæ formam brevi
 esse restaurandam sperabant, hinc satis
 aperte vani sui consilii nequitiam pro-
 dentes haud temerariam conflandæ se-
 ditionis suspicionem Duci præbebant;
 ipsi vero, ut suo molimini æquitatis spe-
 ciem conciliarent, passim in vulgus spar-
 gebant, quod Hieronymus Savonarolla
 Dominicanus, quem, ut suo loco memi-
 nimus, tanquam Vatem divinum vene-
 ra-

rabantur, speratam a se regiminis nor-
 mam revocari prædixisset. Haud dee-
 rant Florentiæ ex Fratribus Prædicato-
 ribus nonnulli, qui ceteros in hisce suis
 deliramentis firmabant, unde seditionis
 periculum, ac proximi mali timorem
 magis magisque augebant. Re perce-
 pta quantocius Dux hisce Religiosis
 præcepit, ut tranquillitatis publicæ stu-
 diosi pacem majori studio colerent:
 cum vero illi haud acquiescerent, eo-
 rum nonnullos, quos seditionis conflatæ
 magis reos existimabat, custodiæ dari,
 promulgatoque edicto illos ex tribus
 Monasteriis, quæ Florentiæ incolebant,
 intra unius mensis spatium excedere
 jussit. Jussa exequi compellebantur
 Religiosi, atque eorum Conventum ad
 S. Marcum, qui præ ceteris præcipuus
 erat, Dux contulit Fratribus Eremitis
 D. Augustini, quorum Monasterium non
 ita pridem erat destructum. Hisce Du-
 cis ausibus haud parum commovebatur
 Pontifex, cumque sibi persuasum habe-
 ret, quod Dux Papa inconsulto talia at-
 tentare non potuerit, hinc Augustiniani-
 nos ex Monasterio, quod jamjam ingres-
 si fuerant, exire jussit: Duci vero indicta
 etiam anathematis pœna præcepit, ut
 Fratres Prædicatores in pristinum sta-
 tum reduceret. Hæc mandata gravi-
 bus minis juncta Pontifex tanto impe-
 rio

Bb 4

rio

Sæcul. XVI A.C. 1545. rio Duci proponebat, ut hic tempore cedere, ac Dominicanis sua Monasteria restituere, consultius fore existimaret, ne novo suo molimine mala magis funesta sibi accerferet, si forte ea, quæ attentabat, pertinaciter prosequeretur.

§. XXIV.

Successio Constantinopolitanorum Patriarcharum in Ecclesia Græca.

In Turco-Græcia l. 2.

Cum Jeremias Constantinopoli in Græcia natus jamjam anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo primo Patriarchali huic Ecclesiæ præfectus fuerit, eandem sedem per plures, quam viginti tres annos occupabat, eo autem regnante Procorus Acridanæ urbis, quæ olim prima Justinianæ appellabatur, Archiepiscopus Constantinopoli ad Patriarcham pervenit, secumque Sultani Diploma attulit, vi cujus fuit declaratum, quod Beroensis Episcopatus, qui Thessalonicæ Sedes Metropolitana est, Acridanæ Diœcesi sit obnoxia. Pollicebatur Archiepiscopus hic Turcis, quod tributum a Patriarchis pendi solitum centum omnino aureis augere vellet, dummodo ei præfata urbs restitueretur: cum vero Jeremias demonstrasset, quod hic Episcopatus ultra trecentos abhinc annos Ecclesiæ Constantino-

pa-

politanae fuisset subjectus, causam obtinuit, ea tamen lege, ut tributum augmentum, quod Procorus obtulerat, & ipse penderet, ea igitur ratione hujus tributum summa hoc anno ad quater mille & centum nummos aureos die S. Georgio sacra quotannis numerandos ascendebat. Porro Jeremias Bulgariam perlustrans, ibidem anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto fati functus est, eidemque successit Dionysius Peræ natus ac Nicomediensis Metropolitae, cum vero non nisi praesente Germano Patriarcha Hierosolymitano electus fuisset, nec ceteri Episcopi ejus jurisdictioni obnoxii convocati essent, hinc illi huic electioni obstrepebant, irrito licet conatu; quippe Solimanus Dionysium confirmabat, adjecta conditione, vi cujus itidem tributum augere teneretur. Verum hæc Imperatoris confirmatio nequaquam tumultus sedabat; Episcopi enim ac Clerici adversus Patriarcham conspirantes Synodum contra illum convocarunt: Dionysius tamen sedem suam conservabat, atque brevi post tempore e vivis excessit, cui postea Metrophanes Cæsariensis subrogatus est. Ceterum inter Patriarchas Latinos Cardinalis Farnesius Constantinopolitani titulum obtinuit, illi autem defuncto successit Cardinalis Columna.

Bb 5

§. XXV.

Sæcul. XVI.

A.C. 1545.

Sæc. XVI.
A.C. 1545.

§. XXV.

*Æthiopiæ Regis Legatus ad Pa-
pam missus.*

*Raynald hoc
anno n. 62.*

Tandem summus Pontifex a crebris, quos hæretici in Europa suscitabant, tumultibus respirare cœperat, dum Legatus nomine Claudii Æthiopiæ Regis damnato Dioscoris schismate, rursus ad Romanæ Ecclesiæ obsequium rediit. Hic idem Claudius, qui Davidi Patri suo successerat, a summo Pontifice Viros Apostolicos, qui ejus subditos Christianæ fidei præceptis imbuerent, sibi submitti, ac Presbyteros institui rogabat: quapropter Paulus III. hunc Legatum, qui Paulus nomine Prior erat Monachorum Æthiopum, summis honoribus excepit, simulque ex ipsis Regis literis percepit, quod alius quidam Deputatus jam aliquot abhinc annis a Claudio fuerit Romam decretus, ille autem in itinere vitam finierit. Postea Pontifex huic Priori valere jussu tradidit Diploma Æthiopiæ Regi deferendum, in quo his verbis utebatur: *Summopere gavisi sumus, Deoque gratias egimus, quod literas tanti, & tam remoti Christiani Regis, nobisque & Apostolicæ Sedi devoti nostro tempore nobis recipere concesserit: ex eis igitur*

ma-

maxima inprimis sumus lætitia affecti, quod te claræ memoriæ Davidi tuo Genitori in Regno Æthiopiæ successisse cognovimus, nimirum ex fama tuæ probitatis conjicientes, & sperantes, quod tu sicut in Regno, ita & in vera Religione erga Deum, devotioneque erga Apostolicam Sedem tuis Progenitoribus succedes, de quo haud dubia nobis signa in eisdem literis dedisti, ex quibus certam in spem adducti sumus, te haud minore studio, quam illi fecerint sanctam fidem Catholicam, & veram Christi Religionem in istis regionibus propagaturum esse: ad quod sane tuam Serenitatem patero affectu hortamur: nos vero, cum proxime, Deo concedente, missuri sumus via maritima ad partes tuis Regnis vicinas aliquos Viros probitate & doctrina conspicuos, & ad instructionem Christianæ fidei aptos, tunc eodem adjuvante Domino dabimus operam, ut tuam Serenitatem etiam per nostrum, & Apostolicæ Sedis Nuntium visitemus, teque, & tua Regna, ac populos tibi subiectos illis spiritualibus gratiis consolemur, quas tunc idem Dominus nobis inspirare dignabitur: interea vero ipsum Paulum Priorem cum his nostris literis ad tuam Serenitatem remittimus, quam Dominus Omnipotens & in præsentis vita prosperare, & in futura cælestibus præmiis decorare dignetur. Datum Romæ vigesima tertia Augusti, anno millesimo quingentesimo

Sæcul. XVI.
 A.C. 1545.

Sæcul. XVI. *simo quadragesimo quinto, & anno undeci-*
A.C. 1545. *mo Pontificatus nostri.*

§. XXVI.

Poyetus Franciæ Cancellarius con-
demnatus.

Daniel hist. Paulo ante Guilielmus Poyetus Can-
de France cellarius, cujus alibi meminimus,
t. 5. vie de condemnatus est. Is prius non nisi Ad-
François I. vocatum Andegavi agebat, postea ve-
p. 717. & seq. ro favente Ludovica de Sabaudia Re-
 gis Matre Parisiensis Præsidis munus
 & insignia (*) accepit, ac demum anno
 millesimo quingentesimo trigesimo octa-
 vo Cancellarii dignitatem aucupatus est,
 cum vero auctoritate sibi concessa ad ex-
 plendam tyrannidem, ac innumeras fer-
 me exactiones inique extorquendas ab-
 uteretur, propter tam sceleratam agen-
 di rationem, ac perversam administra-
 tionem crebro ad Regem deferebatur,
 hinc

(*) Hoc officium a Gallis vocatur *la Char-*
ge de President au Mortier, hoc autem nomen
 idem significat, ac quoddam capitis ornamen-
 tum, sive nigram largamque ac rotundam vit-
 tam, quam Parisiensis Curia Præsides deferunt,
 hoc autem insigni ornati incedere, duntaxat
 octo Curia Senatoribus permittitur, qui vo-
 cantur *Præsidents au Mortier*.

hinc die secunda Augusti anno post Christi ^{Sæcul. XVI.}
 stum natum millesimo quingentesimo A.C.1545.
 quadragesimo quarto captus ad arcem,
 quæ Bastilla vocatur, abducebatur, Re-
 gisque jussu Parisiensis Curia in eum ju-
 dicii acta instruere coeperat. Hanc in
 rem ex variis Franciæ Curiis consenti-
 ente ipfomet accusato Judices selige-
 bantur, dudumque res ultro citroque a-
 gitabatur, tandem vero hoc anno Domi-
 ni millesimo quingentesimo quadragesi-
 mo quinto die vigesima tertia Aprilis in
 eum lata est sententia hujus tenoris :
 „ Cum Cancellarius potestatis suæ limi-
 „ tes excedens iniqua attentaverit, abu-
 „ sus atque exactiones imposuerit, hinc
 „ dignitate sua exutus ad regium hoc
 „ officium inhabilis declaratur, mulctæ
 „ autem nomine Regi persolvat centum
 „ librarum millia, tamdiu vero in car-
 „ cere detineatur, donec totam hanc
 „ pecuniarum summam persolverit, po-
 „ stea ad quinquennium in locum, tu-
 „ tamque custodiam juxta Regis bene-
 „ placitum relegatur. „ Ut autem ma-
 jori adhuc pudore suffunderetur, hæc
 sententia apertis januis, & ipso Poyeto
 præsentem, capiteque nudo in supremæ
 Curie Prætorio prælegebatur: demum
 vero reus magnæ turri Bituricensi in-
 clusus, ibi tamdiu hæsit, donec omnia
 sua bona Regi cessisset. Ceterum haud
 in-

Sæcul. XVI. A.C. 1545. inficias ire possumus, quod Navarræ Regina, Francisci I. soror, nec non Stamparum Ducissa, quæ Galliarum Regis scortum erat, ex ulciscendi cupiditate infelicem hunc Cancellarium haud parum vexarint, eoquod hic regium Diploma, quod Reginalda ad Stamparum Ducissæ preces in odium Tilleti impetraverat, firmare renuisset. Interim Poyeto ita condemnato Rex Sigilliferi munus Francisco de Montholone Parisiensis Curiae Præsidi commisit, Cancellarii autem titulum eidem minime adjecit: Poyetus vero inopia pressus, ac ignominia, annisque plenus mense Aprili hoc anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo e vivis excessit, postquam ætatis suæ annum septuagesimum quartum expleverat.

§. XXVII.

Congregatio generalis Sessioni præmissa.

*Pallav. hist.
Trid. lib. 6.
c. 2. n. 2.*

ANNO sequenti millesimo quingentesimo quadragesimo sexto die quinta Januarii habita est generalis Congregatio, in qua de rerum ordine in Synodo servando, nec non de modo quæstiones in proxima Sessione proponendi agebatur, ibidemque Pontificis Diploma fuit prælectum, vi cujus Episcopi ceterique Synodi Patres a decimis eximebantur. Post-

Posthæc habebatur examen circa eos, quibus jus suffragii competeret, exinde vero quædam mota fuere dubia; quippe Cardinalis S. Crucis, qui Montano Cardinale ob podagram absente Præsidis vices agebat, in eam abibat sententiam, quod Regulares in juris sui, quo jam a longo tempore potiebantur, possessione conservarentur, eisque suffragii, ut vocant, deliberativi prærogativa concederetur. Verum Petrus Pachecus Giennensis Episcopus non ita pridem Cardinalium Collegio adscriptus huic disceptationi interposuit, quod Episcopi cunctos Religiosos a jure suffragii excludi minime postularent, sed id unice denegaretur Abbatibus, quorum numerus summopere excreverat. Hujus Cardinalis sententia sine nova controversia a ceteris quoque fuit adoptata, quamvis postea alia rursus contentio fuerit exorta.

§. XXVIII.

Contentio circa Abbatum suffragia.

Post hæc Synodi Præses a Patribus petiit, ut tres Congregationis Cassinensis Abbates a Papa ad Concilium missi ad ferenda suffragia admitterentur, simulque pedo ac mitra insignes in Synodo exciperentur. Annuebant quidem

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Sæcul. XVI. dem Patres primo huic articulo, alterum vero indulgere recusabant, quinimo Jacobus Naclantus ex Ordine Fratrum Prædicatorum Episcopus Clodienfis illud Synodi Decretum allegabat, vix cuius solis Episcopis pedum mitramque deferre concedebatur: cum autem sese Cervinus opponeret, & nihilominus Episcopus suam sententiam tueretur, tandem Legatus non nihil commotus subiecit: *Pontifex in suo Diplomate Abbatibus ad Concilium vocavit, nos ergo illos excludemus?* Inde vero exorta est quæstio, de quibus demum Abbatibus præfatum Diploma loqueretur? igitur ea de re ultro citroque disceptatum, tandem vero Montanus Cardinalis pristinæ valetudini restitutus ad confessum rediit, nec non Patres eo induxit, ut unanimi consensu decernerent, quod concursus trium Abbatum Cassinensium sententia pro uno duntaxat haberetur suffragio, ea plane ratione, qua singuli Religiosorum Ordines per suum quisque Generalem Præfectum unius suffragii jure fruebantur. Re hoc modo composita nil propius erat, quam ut eadem judicandi facultas etiam Dominico Soto ex Ordine S. Dominici Theologo celeberrimo concederetur. Obluctabatur tamen Cervinus Cardinalis, exponens, quod Diploma Pontificis obstaret, quo cavebatur,

tur, ne ad suffragium admitteretur, qui- ^{Sæcul. XVI.}
 cunque ab alio subrogatus fuisset, Do- ^{A.C. 1546.}
 minicus vero non nisi a Generali Ordini-
 nis sui Vicario missus illius vices sup-
 pleret.

§. XXIX.

*Statuta pro usu suffragii per
 Procuratores.*

Quamvis Legati penes se haberent ^{Pallav. n. 6.}
 Pontificis Diploma, quo Germa- ^{& seq.}
 niæ Episcopis suffragii per Procurato-
 res ferendi jus indulgebatur, hoc tamen
 privilegium promulgare haud consul-
 tum censebant, veriti, ne illud plures
 aliarum Regionum Episcopos ad æmula-
 tionem excitaret, quapropter fatius fore
 existimabant, si hujus indulgentiæ loco
 summus Pontifex Legatis suis facultatem
 daret hanc gratiam illis duntaxat
 impertiendi, quibus eam peculiare ob-
 causas merito concedendam censerent.
 Verum illis respondit Pontifex: *Non
 convenit, ut vos in ejusmodi salebras consi-
 ciam, ceterorum enim invidiam per hanc inæ-
 qualitatem incurreretis, si uni ea conceditis,
 quæ alteri denegatis: cuncta igitur sint æ-
 qualia, nec ullo pacto permittatis, ut Pro-
 curatoris nomine præsentem deliberativum in
 Concilio suffragium habeant.* Hanc ob-
 rem nec Diploma produxerunt, nec uni-
 versalem hanc concessionem palam fe-
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Cc ce-

Sæc. XVI. A.C. 1546. cerunt, cunctisque Germaniæ Episcoporum Procuratoribus jus suffragii denegarunt, ac ipsos quidem Augustani Cardinalis Procuratores excluderunt, quorum prior erat ejusdem Ecclesiæ Canonicus, alter vero Claudius Jajus ex primis decem S. Ignatii Loyolæ Sociis. Eidem legi pariter ceteri omnes, qui Tridentum confluerant, subjiciebantur, hancque agendi rationem Papa ratam habuit. Denique fuit sancitum, ut Episcopi pedo ac mitra ornati suam in Concilio sententiam sedentes ennuntiare possent.

§. XXX.

Contentio de Synodi titulo Decretis præfigendo.

Pallav. n. 8. Acrior adhuc controversia movebatur circa titulum, qui Synodo præfigeretur, quamvis hæc quæstio facili negotio decidenda videretur, sæpius tamen fervide agitata Synodum turbabat; Pontifex enim suis Legatis in mandatis dederat, quod Decretis hæc verba præponerent: *Sacrosancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis*: Inde vero totius litis origo erat; quippe Puccius Marcellus Fesulanus Episcopus contendebat, ad majorem Concilii dignitatem hæc verba: *Universalem Ecclesiam repræsentans,*

tans: cuilibet Decreto esse præfigenda, Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 qui titulus, agebat hic Episcopus, a Syn-
 nodis Constantiensi & Basileenfi desump-
 ptus minime in hoc Tridentino Concilio
 est prætermittendus, quamvis enim con-
 gregatorum numero non adeo celebre
 sit, non tamen minoris æstimationis &
 auctoritatis esse comprobetur. Eadem
 quoque sententia plurium aliorum Præ-
 fulum animis infedit, alii vero dissentire
 videbantur, atque inter eos præcipue
 Augustinus Bonuccius Aretinus, Ordini
 Servorum generalis Præpositus demon-
 stravit, quod hic titulus recens in-
 ventus antiquis Conciliis ante Constans-
 tiense celebratis minime usitatus fuerit,
 Constantienses vero hæc verba unice ea
 ex causa addiderint, quod eo tempore
 Ecclesia diuturno schismate scissa fuisset,
 proin dubio locus esse potuisset, utrum
 per hoc Concilium univèrsia repræsentaretur
 Ecclesia, simulque fideles suis Decretis ad
 unionem reducendi vim obtineret: aliunde
 vero hæc eadem verba: *Universalem repræsentans Ecclesiam*,
 nequidem omnibus Constantiensis Synodi
 Decretis præfixa legantur, sed duntaxat
 illis, in quibus de gravioris momenti
 negotiis agebatur, atque contra Antipapas
 sententia pronuntiabatur, vel aliqua hæreses
 fuerant damnatæ.

Sæcul. XVI. Hisce Præpositi Generalis rationibus
 A.C. 1546. subjunxit Pighinus Romanæ Rotæ Au-
 ditor, quod hæc verba: *Universalem*
Ang. Massa- *repræsentans Ecclesiam:* prorsus superva-
rel. in actis canea forent, cum Tridentina Synodus
MS. Conc. ex Pontificii Diplomatis tenore, nec
Trid. Arch. non ex ipsius Decreto, quo inchoanda
Vat. sign. decernitur, declaretur *Synodus univer-*
 3188. *Et n.* *lis Et œcumenica,* quæ verba, licet idem
 3232. p. 98. significarent, majorem tamen crearent
Raynald. hoc auctoritatem, minoremque excitarent
ann. n. I. Et invidiam. Præses vehementer dilau-
Et seq. data utriusque opinione magis Pighini
 sententiæ accedere videbatur, addens,
 quod hæc verba, de quibus est quæstio, e-
 quidem telum essent ad configendam Lu-
 theranorum hæresin longe aptissimum,
 nec tamen statim in eos evibrandum, ne
 irritentur, ac magis feroces reddantur,
 præsertim in præsentis temporis rerum-
 que vicissitudine, cum Synodus haud a-
 deo numerosa esset, ac nondum Princi-
 pum Legati advenissent. His Præses
 utpote Sedi Apostolicæ addictissimus ta-
 lia subjunxit: „Nullatenus exemplum
 „peti valet a Synodo Basileensi, quæ in
 „Schismaticorum conciliabulum dege-
 „nerabat, hacque fastuosa inscriptione
 „sibi Eugenii IV. Papæ odium accerse-
 „bat: Synodus vero Constantiensis ex-
 „posuit rationes, quibus inducta hunc
 „titulum adoptabat: potius igitur Tri-
 „den-

„dentinae Synodi Patres modestiam
 „imitentur summi Pontificis, qui se *Ser-*
 „*uum Servorum* appellat. „ Ceteri quo- Saecul. XVI.
 que Legati Praesidis sententiae acquie- A. C. 1546.
 verunt, eisque accessit Tridentinus E-
 piscopus, unde horum auctoritas pluri-
 mos etiam Praesules ad idem consilium
 induxit. Verum haud diu haec tran-
 quillitatis aura adspirabat, sed animo-
 rum contentione rursus effervescente
 Legati aegre impetum sistere poterant;
 nec tamen propterea a sua sententia re-
 cedentes datis ad Papam literis signifi-
 carunt, quod novae huic inscriptioni,
 quam Episcoporum potissimi Decretis
 apponi petebant, constanter sese oppo-
 suissent, veriti, ne quidam hanc quo-
 que clausulam apponere attentarent,
 quae in Synodo Constantiensi, & Basi-
 leensi fuit apposita his verbis concepta:
Quae Synodus a Christo immediate potesta-
tem habet, cui quilibet cujuscunque status &
dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire
tenetur. Equidem Seripandus Fratrum
 Eremitarum S. Augustini Generalis
 praepositus utramque dissidentium par-
 tem conciliare tentabat, sed minime au-
 diebatur; constanter enim Legati haec
 verba esse adjicienda negabant, eorum-
 que studium Papa plurimum commen-
 dabat. Quin imo referunt nonnulli,
 quod idem Pontifex primo haec quoque

Sæcul. XVI. verba: *Universalis & œcumenica*, expungi voluerit, postea tamen, cum ea jam suo Diplomati inseruisset, rem intactam relinqui censuerit.

A.C. 1546

§. XXXI.

*Cujusdam Episcopi sententia de omit-
tendis Legatorum nominibus.*

*Spond. hoc
ann. n. I.
Paul. Sarpi
hist. Trid.
l. 2. p. 128.*

Vix non penitus sedata erat contentio, cum Joannes de Salazar Lanciani in Neapolis Regno Episcopus novum altercandi argumentum suppeditaret, exponens, quod titulus a primis Ecclesiæ Conciliis receptus retinendus esset, hic vero minime fastuosus sonaret, cum nequidem Præsidum nomina fuissent apposita: omnibus autem prior fuerit Synodus Constantiensis, adjiciens nomina suorum Præsidum, quos propter schisma frequenter mutabat; horum autem exemplum minime esset sequendum, cum alias pariter Cæsaris, Regisque Romanorum Oratores nominare conveniret, eo quod Sigismundus, aliique Principes, qui Synodo Constantiensi cum eo intererant, ibidem nominatim designati essent: hunc vero factum a Christiana humilitate omnino alienum esse reputabat, indeque inferebat, nullam Præsidum mentionem esse faciendam. Hæc Episcopi monita minus benigne

nigne excipiebantur, unde ipsi Cardinalis Montanus eodem ferme momento hæc reposuit: „ Concilia pro varia
 „ temporum atque occasionum ratione
 „ diverso agendi modo fuerunt usi, an-
 „ te actis tamen Sæculis semper Papa
 „ tanquam Ecclesiæ Caput fuit agnitus,
 „ neque unquam a quovis Concilium ea
 „ lege expetitur legitur, ut a Pontifice
 „ non dependeat, quod tamen nunc Ger-
 „ mani imprudenter nimis deposcunt, de
 „ cetero autem hæreticæ temeritati for-
 „ titer reluctandum, palamque declaran-
 „ dum, quod ipsi, cum Romani Pontifi-
 „ cis sint Legati, cum ipso tanquam suo
 „ Capite sint conjuncti. „ Ea de re proli-
 „ xius adhuc fervore Ultramontanis (*) so-
 „ lemni differebat, tandem vero sermo-
 nem ad alia deflectebat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Cc 4

§. XXXII.

(*) Infulse Continuator Joannis Mariæ de Monte Cardinalis fervorem per ludibrium vocat *Ultramontanum*. Hic enim non ultra Montes, sed Romæ natus erat, si vero hunc fervorem ideo Ultramontanum appellat, quia Papam tanquam Ecclesiæ Caput, sine cujus jussu, vel approbatione nullum unquam Concilium fuit legitimum, agnovit, hunc Cardinalem non Ultramontanum, sed veritatis, quam (excepta forte unica natione) tota Christiana respublica pro-

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. XXXII.

*Gallicorum Præfulum postulata de
sui quoque Regis nomine De-
cretis inferendo.*

*Spond. l. c.
Pallav. l. 6.
c. 5. n. 3.*

Postquam hoc Decretum communi omnium suffragio fuerat approbatum; paulo post Guilielmus de Prato Claromontanus Episcopus suis identidem sollicitationibus Synodi Patres inducere moliebatur, ut Galliarum Res figillatim nominaretur in illis precibus quas ad Deum pro Papa, Cæsare, & Regibus fundere jubebantur, eoque Pontifex hujus Regis nomen in Bulla, qua Synodum indixit, nominatim apposuisset. Nonnulli huic petitioni non nihil favere videbantur, ac ipsemet Cardinalis sanctæ Crucis eam haud reproba-

propugnat, defensorem aptius deprædicasset: in hoc enim, quod membra sint Christi Vicario in unitate fidei unita, non modo Ultramontani, sed omnes veri probique Catholici gloriantur, & omnes tandiu ab hæresi, imo & ab omni hæresis umbra immunes permanserunt, quamdiu hanc veritatem pro aris & focis defenderunt, cum econtra illi, qui summi Pontificis auctoritati protervius illudunt, ægre schismatis suspensionem a se amoliantur.

babat, addidit tamen, quod tum ceteri ^{Sæcul. XVI.}
 quoque Reges suo quisque loco nomi- ^{A.C. 1546.}
 nandus esset, id vero, agebat ille, ob
 controversam loci prærogativam abs
 dubio novos tumultus suscitaret: At
 Franciæ Episcopi iteratis precibus rem
 urgebant, exponentes, quod summus
 Pontifex in suo de indicanda Synodo
 Diplomate Cælaris, ac Galliarum Regis
 duntaxat meminerit, proin aut præter
 ambos hosce Principes nullus alius es-
 set nominandus, aut nec hujus, nec il-
 lius mentionem facere oporteret (*);
 cum vero Legati hanc agendi rationem
 ceteris Regibus injuriosam fore perti-
 mescerent, hinc Episcopis Gallicis re-
 sponderunt, quod singulis satisfieri cu-
 perent: hoc itaque responso ab hisce
 tricus sese expedierunt.

Cc 5 §. XXXIII.

(*) Consulatur ipsa Pauli III. Bulla, & qui-
 libet primo etiam aspectu deprehendet, quod in
 hoc Diplomate utrumque hunc Principem duntaxat
 nominaverit, occasione ex eo desumpta,
 quod illi tum bello, & mutuis inter se diffidiis
 flagrarent, eos vero Papa ad pacem & concor-
 diam hortaretur, an autem propterea hæc pe-
 titio valido innitatur argumento, prudentis Le-
 ctoris judicio relinquitur. Æquius tamen Con-
 tinuator hæc Pallavicini l. c. verba addidisset:

Plu-

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. XXXIII.

Patrum querelæ adversus Legatos.Pallav. c. 2.
n. 10.

Equidem summus Pontifex jus suum, quo se Synodo superiorem esse contendit, immotum servare studiosissimum erat, nec segnius tamen erat Episcoporum studium, quo suam contra Legatos auctoritatem tueri nitebantur; eo enim devenerant, ut palam quererentur, quod Legati haud consultis Synodi Patribus quemdam a Mendoza Cæsareæ Majestatis suæ Legato Deputatum recens admissum excepissent, ejusque literas absque Patrum consensu in prima Sessione aperuissent. Verum Montanus Cardinalis ad ejusmodi querelas in generali cœtu respondens ita perorabat: *Haud parum obstupesco, quod in controversiam vocetur, utrum Præsidibus liceat literas, legationesque cujusvis excipere, eo fine, ut illæ postmodum ad Concilium referantur, ibidemque de responsis ex Patrum sententiis de-*

Plurimum valuit ad Gallos ab incepto dimovendos communis Ecclesiæ consuetudo, quæ sacrosancto Parasceves die nullius profani Principis præter Cæsarem in publicis precationibus mentionem facit. Hæc Pallavicinus non ex suo cerebro, sed ex epistola Cervini ad Farnesium 9. Januarii anno 1546. data comprobatur.

liberetur. His addidit: *Cum experimento* Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
*pariter compertum sit, in ferendis ac post-
 modum enumerandis suffragiis confusus agi,
 hinc Legati tribus ex antiquissimis Episcopo-
 rum unacum Pighino Romanæ Rotæ Audi-
 tore negotium dederunt, ut suffragia collige-
 rent, si vero adeo tenuis quidem functionis
 administratio non præteriret absque tam acri
 Patrum querimonia, satius nos Legati du-
 cemus, eam quoque revocandam.* Postquam
 vero prælectum fuerat Pontificis Diplo-
 ma, quo Papa Episcopis in Synodo
 congregatis decimas condonabat, pauci
 quidam mustitabant, contendentes, quod
 fatius fuisset, si per ipsammet Synodum
 ab hoc onere fuissent exempti, alii econ-
 tra hoc Pontificis privilegium ad suos
 etiam domesticos extendi rogarunt.
 Idem quoque sibi indulgeri petebant su-
 premi Religiosorum Ordinum Præsides,
 nec minus omnes, quotquot huic Con-
 cilio intererant, licet Episcopali digni-
 tate non fulgerent, hanc tamen gratiam
 pariter suis familiis concedi postulabant.
 Horum preces edoctus Pontifex, Epi-
 scoporum postulatis minime annuit, Re-
 ligiosis vero hunc favorem penitus non
 denegavit, de ceteris autem tum nihil
 decretum fuit.

Sæc. XVI.
A. C 1546.

§. XXXIV.

Modus numerandi suffragia a Pro-
fide propositus.

Pallav. c. 2.
n. 9.

Nil aliud decernendum supererat præ-
ter debitum suffragia in Synodo fe-
rendi modum, hanc in rem, ut memo-
ravimus jam antea, sancitum, quod
quavis viritim suum ferret suffragium,
nequaquam vero eadem pro Nationum
numero essent colligenda, prout tamen
in Constantiensi Synodo observatum
fuerat. Huic Decreto oblectabatur
Montanus Cardinalis suam sententiam
his verbis proferens: „ Satis fore cen-
„seo, si modus in nupero Lateranensi
„ Concilio, cui sub Archiepiscopi Sapon-
„tini titulo interfui, servatus adhibe-
„retur; ibi enim ad pertractanda varia
„negotia tres Patrum coetus seligeban-
„tur, qui res mature discussas ad gene-
„ralem Congregationem deferebant, ut
„ ibidem quavis libere sententiam suam e-
„diceret: ea vero, quæ in hac Congre-
„gatione fuere statuta, in proxima Sel-
„sione proponebantur, indeque Decreta
„ fuerunt condita; hac autem via tran-
„quille, ac sine tumultu cuncta decide-
„bantur; cum igitur negotia in Tridentino
„ Concilio longe majoris sint momenti, ac
„ erant ea, quæ sub Julio II. & Leone X.
„ sum-

„summis Pontificibus in Lateranensi Sy- Sæcul. XVI.
 „nodo agitabantur, hinc necessitas petit, A.C. 1546.
 „ut res pertractandæ dividerentur, & sin-
 „gulis discutiendis peculiare Congrega-
 „tiones assignarentur, demum vero seli-
 „gerentur nonnulli, qui Decreta efforma-
 „rent, circa quæ unicuique suam mentem
 „in generalibus Congregationibus aperi-
 „re integrum sit, ita tamen, ut ad stabi-
 „liendam plenam libertatem Legati non
 „nisi proponentium partes sustineant, suf-
 „fragia vero in Sessionibus ferantur. „
 Cum hoc statutum plurimorum consen-
 su esset approbatum, Patres unice eo in-
 tenti erant, ut altera Sessio indicere-
 tur.

§. XXXV.

Sessio II. Concilii Tridentini.

Præstituta die septima Januarii anno *Labbe Coll.*
 Domini supra millesimum quingen- *Conc. t. 4.*
 tesimo quadragesimo sexto habita est *p. 741.*
 secunda Concilii Sessio, cui præter tres *Pallav. hist.*
 Legatos & Cardinalem Tridentinum in- *Conc. Trid.*
 tererant quatuor Archiepiscopi, nimi- *l. 6. c. 5.*
 rum Aquensis, Panormitanus, Upsalen- *Sleid. comm.*
 sis in Suecia, & Armacanus in Scotia. *l. 16. p. 560.*
 Hi duo postremi, quorum prior nomina-
 batur Olaus Magnus, alter vero Rober-
 tus Venantius seu Vaucopus, nunquam
 suas Diœceses lustrabant, eoquod ea-
 rum non nisi titulum accepissent, atque
 sum-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. summus Pontifex illos Romæ sustentasset, eosque duntaxat eo consilio Tridentinum ablegasset, ut Legatis suis operam, consiliumque ferrent. Præter quatuor hosce Archiepiscopos confluerant etiam viginti octo Episcopi, quos inter merito numeratur Cardinalis Pachecus Giennensis Episcopus. Aderant quoque tres Abbates ex Congregatione Montis Cassini, quatuor Religiosorum Ordinum Generales, ac circiter viginti Theologi, qui in loco confessus stabant; Castellatus autem & Quera, ambo Romanorum Regis Legati, nec non Cardinalis Augustani Procurator in scamno Oratoribus designato confidebant, penes eos vero octodecim Barones, seu vicinarum ditionum Nobiles a Cardinale Tridentino invitati sedes suas occupabant. Posthæc Præfules solita veste induti in primi Legati Palatio prius convenerant, inde vero quodam Crucis signum præferente ad Ecclesiam procedebant, penes quam trecenti milites in duos ordines hinc inde distributi unacum quibusdam Nobilibus, quamprimum Patres templum ingressi sunt, suos sclopos festive explodebant, ac durante Sessione ibidem excubias agebant. Demum Patres in unum congregati, nec non Pontificio habitu ornati suas quisque sedes occuparunt, Joannes vero

Fon

Fonseca Castrimarinus Episcopus rem ^{Sæc. XVI.} A.C. 1546.
 divinam de Spiritu sancto peregit, qua
 absoluta Coriolanus Martiranus D. Mar-
 ci Episcopus sermonem habuit de cor-
 ruptis temporum moribus, ac funesto
 Religionis statu. His peractis, solitis-
 que precibus pie persolutis Episcopus,
 qui antea sacris operabatur, Bullam
 prælegit, qua Procuratorum, qui ab-
 sentium vices agebant, suffragia colli-
 gere prohibitum erat. Refert Pallavi-
 cinus, quod eodem tempore Massarelus,
 qui Cervino Cardinali a secretis erat, il-
 lam prælegerit orationem, qua, ut in
 prima Sessione meminimus, Papæ Le-
 gati Synodi Patres adhortabantur.
 Hanc a Cardinale Polo fuisse compo-
 sitam existimant nonnulli.

§. XXXVI.

Decretum de emendatione morum.

In hac Sessione unicum duntaxat con- ^{Labbe l. c.}
 ditum fuit Decretum, quod ab Epi- ^{p. 741.}
 scopo Castrimarino prælectum hujus est
 tenoris: *Sacrosancta Tridentina Synodus
 in Spiritu sancto legitime congregata, in ea
 præsentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis
 Legatis, agnoscens cum B. Jacobo Aposto-
 lo, quod omne datum optimum, & omne
 donum perfectum desursum est, descendens a
 Patre luminum, qui iis, qui postulant a se
 sapientiam, dat omnibus affluenter, & non*
 im-

Sæcul. XVI *improperat eis, & simul sciens, quod initium sapientiæ est timor Domini, statuit & decrevit, omnes & singulos Christi fideles, in Civitate Tridentina congregatos exhortandos esse, prout exhortatur, ut se a malis & peccatis hætenus commissis emendare, ac de cetero in timore Domini ambulare, & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quique poterit, adimplere, nec non quotidie pro pace Principum Christianorum, & unitate Ecclesiæ privatim orare velint; Episcopos vero, & quoscunque alios, in Ordine sacerdotali constitutos, æcumenicum Concilium in ea civitate concelebrentes, ut assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes & preces offerre, Sacrificium Missæ quoties saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, & a mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum in Discipulos infudit, peragere satagant, facientes, sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum præcipit, & obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro sanctissimo Domino nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus & ceteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus, ut quietam & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis*

riis in memoriam Passionis Domini, & eleemosynas pauperibus erogent; in Ecclesia autem Cathedrali singulis quintis feriis celebretur Missa de Spiritu sancto, cum Litaniis & aliis orationibus ad hoc institutis: in aliis vero Ecclesiis eadem die dicantur ad minus Litaniæ & orationes, tempore autem, quo sacra peraguntur, colloquutiones, & confabulationes non fiant; sed ore & animo celebranti assistatur. Et quoniam oportet, Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos; hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum: deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur; familiares vero suos unusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores; vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur; & in vestitu & cultu, & omnibus actibus honestatem præferant, sicut decet Ministros Ministrorum Dei. Ad hæc, cum hujus sacrosancti Concilii præcipua cura, sollicitudo & intentio sit, ut propulsatis hæresum tenebris quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Jesu Christo, qui vera lux est, annuente, candor, puritasque resurdeat, & ea, quæ reformatione egent, reformentur: ipsa Synodus hortatur omnes

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Da nes

Sæcul. XVI. A. C. 1546. *nes Catholicos hic congregatos, congregatos, atque eos præsertim, qui sacrarum litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis & modis ipsius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum sortiri possit; quo maturius & consultius damna dammanda, & probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei confessione glorificent Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi. In sententiis vero dicendis juxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis confidentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis, vanis, aut oblinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur. Insuper ipsa sacra Synodus statuit, ac decrevit, quod si forte contigerit, aliquos debito in loco non sedere, & sententiam etiam sub verbo: Placet, proferre, Congregationibus interesse, & alios quoscunque adius facere. Concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur.*

Perlecto Decreto responderunt omnes: *Placet*, idemque Præsul, qui illud recitaverat, Congregatos interrogabat, *utrum*

utrum sequentem Sessionem ad proxima-
mam diem quartam Februarii indici,
raturum haberent, ad quod omnes unani-
mi suffragio itidem exclamarunt: *Pla-*
cet. Verum Galliae Episcopi rursus
controversiam de Decreti titulo suscita-
bant, pertinaciter contendentes, hæc
verba esse præfigenda: *Synodus univer-*
salem Ecclesiam repræsentans. Unde de-
nuo ultro citroque hac super re disce-
ptabatur in Congregatione, quæ pri-
mum decima tertia Januarii habita est,
eoquod Pachecus Giennensis Episcopus
nuper mense Decembri Romæ ad Pur-
puratorum ordinem assumptus, cum ef-
set natione Hispanus, Cæsaris consen-
sum ad hoc præstolaretur, ut & ipse hac
dignitate insignis Congregationi inter-
esse posset.

§. XXXVII.

*Congregatio pro decidenda lite de ti-
tulo Decretis præfigendo.*

In hac Congregatione ex Papæ Lega-
tis primus contra eos querebatur,
qui in nupera Sessione sese titulo Decre-
ti opponebant. Nec tamen soli Fran-
ciæ Episcopi hanc litem movebant, eis
enim pariter nonnulli ex Italis atque
Hispanis accesserant, & quidem ex Hi-
spanis præcipui erant Joannes Salazar,

Dd 2

Lan-

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Sæcul. XVI. Lancianensis, Fonsca Castellimarinus,
 A. C. 1546. & Didacus Alaba Asturiensis, omnes
 tres Episcopi, & natione Hispani: Ex
 Italis vero contra hunc titulum decla-
 mabant Petrus Tagliavia Panormitanus
 Archiepiscopus, Paccius Marcellus Fe-
 fulanus Antistes, Henricus Loffredus
 Caputaquensis, & Jacobus Bellocas-
 trensis Episcopus: Attamen his Præ-
 ses ita respondit: „ Indecorum est, in
 „ loco publico discordes opinionum va-
 „ rietates ab aliis percipi, Congregatio-
 „ nes enim idcirco sunt constitutæ, ut
 „ quisque sententiam suam libere possit
 „ edicere, eo fine, ut deinceps in id, quod
 „ promulgandum est, omnes unanimi
 „ suffragio conspirent, hanc ob rem Con-
 „ gregationes secreto fiunt, in Sessioni-
 „ bus autem publicis concordēs esse de-
 „ bent sententiæ, ne hæreticis cavillan-
 „ di ansa præbeatur, neque enim alia re
 „ hæretici magis confunduntur, nec ma-
 „ gis Catholici in fide constanter tuen-
 „ da confirmantur, quam ipsa opinio-
 „ num consensione. De cetero nullus
 „ alius titulus Synodo melius convenit,
 „ quam quo & Pontifex in Diplomate
 „ suo usus est, declarans, quod sit *sacro-*
 „ *sanda, universalis & œcumenica Synodus,*
 „ hæc enim verba idem significant, ac
 „ ea, de quibus lis movetur; quippe
 „ asserendo, Synodum esse universalem
 „ &

„ & œcumenicam, eo ipso affirmatur, Sæcul. XVI.
 „ quod universalem Ecclesiam repræ- A.C. 1546.
 „ sentet. „ His dictis Præses hac super
 re ceterorum sententias rogabat.

Pachecus quidem Cardinalis sententiam suam hunc in modum edicebat:
 „ Synodi equidem variis, multisque titulis ad ostendendam earum auctoritatem insigniri valent pro varietate argumentorum, quæ in illis pertractantur, huic tamen Concilio titulum præ reliquis magis honorificum apponere sufficit, sicut Imperatores, qui plura Regna possident, sæpenumero in suis dictis illum duntaxat adhibent titulum, a quo illud majorem vim accipit: aliunde vero, cum adhucdum non nisi de iis agatur, quæ præparationem ad Synodum concernunt, hæc contentio omnino supervacanea esse videtur. „
 Ex adverfo Fesulanus Episcopus hæc verba: *Ecclesiam universalem repræsentans*, addenda ratus, ita perorabat: „ Religione teneor, ut nullum approbem Decretum hoc titulo destitutum; nec etiam convenit, rem, uti Polus postulabat, ad aliorum sententiam remittere, quia nunquam a mea opinione decedam. Verum ob hanc pertinaciam a primo Præsede objurgatus fuit (*):

D d 3 de

(*) Hanc in rem Pallavicinus l. c. hæc subjungit

Sæc. XVI.

A. C. 1546.

de cetero D. Marci Episcopus, nec non Feltrensis pariter suam quisque sententiam ambiguis admodum verbis proferrebant, nihilque certi hac super re decidebant, unde hæc controversia longius fuisset protracta, nisi Hieronymus Seripandus Fratrum Eremitarum S. Augustini præpositus Generalis majorem suffragiorum partem ad suam sententiam inclinasset; cum enim Patres ad concordem opinionem inducendi, adversæque parti victoriam addicendi difficultatem probe perspiceret, hinc ea, quæ in alia occasione jamjam proposuerat, repetiit, affirmans, quod nunc haud de eo, an hæc inscriptio sit perpetuo rejicienda, agatur, sed duntaxat ventiletur, utrum ad commodius tempus illa veniat seponenda, ubi frequentior erit Patrum confessus, majorisque momenti sanctiones condentur, quarum initio ad augendam Synodi dignitatem honorificus ejusmodi titulus addi poterit. Cum
igi-

jungit: De hoc a primo Præsidi objurgatus fuit, sed gravissima objurgatio ipsi fuit suamet pertinacia, ab omnibus destituta, hominibus contentione defessis, planeque indignantibus, unius Collegæ dissensu contemni communi judicium eorum, qui ut legitimi Judices universi Christiani generis considerant.

igitur hoc Seripandi consilium eo colli-
 maret, ut hujus inscriptionis usus dif-
 ferretur, hinc Patrum potissimi eidem
 suffragati sunt, decreverunt tamen, ut
 ad hæc tituli verba: *Sacrofancta Syno-
 dus, adderentur etiam ista: Oecumenica
 & universalis*, eoquod ea ab ipsomet Pon-
 tifice in suo Diplomate fuissent adjecta.
 Denique tria proponebantur capita in
 Synodo præcipue agitanda, quæ tange-
 bant hæresum extirpationem, discipli-
 næ emendationem, nec non unionem in-
 ter Principes Christianos. His stabili-
 tis sancitum, ut in proxima Congrega-
 tione quivis mentem suam promeret,
 qua ratione hæc argumenta essent per-
 tractanda. Postremo tandem Aquensis
 Archiepiscopus, nec non Feltrensis &
 Asturiensis Antistites designabantur, ut
 absentium Episcoporum mandata, nec
 non eorum excusationes eo fine discute-
 rent, ut hac super re in proxima Congre-
 gatione sententias suas proferre possent.

§. XXXVIII.

*Congregatio circa ordinem in exami-
 nandis materiis servandum.*

Igitur die decima octava Januarii habi-
 ta est Congregatio, quæ tamen haud
 minoribus, quam priores, dissidiis erat
 obnoxia, cum opinionum certamini an-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Pall. l. 6. c. 7.
 Raynald. hoc
 anno n. 10.
 & seq.

D d 4

fam

Sæc. XVI. sam præberet ipse ordo, quo tria illa ca-
A.C. 1546. pita a Præsidente proposita essent agitan-
 da, nam hanc ob rem quæstio in illa
 instituebatur, utrum de fidei dogmati-
 bus, ac Religionis negotiis præprimis
 agatur, eaque postmodum serie non in-
 interrupta pertractentur, vel potius inci-
 piatur a disciplinæ, morumque Clerico-
 rum emendatione, vel denique, utrum
 eodem simul tempore circa utrumque
 caput Patrum sollicitudo occupetur.
 Primæ opinioni adhærentes hæc expo-
 nebant: „ Hunc ordinem in veteribus
 „ Conciliis observatum, atque primo lo-
 „ co gravioris momenti argumenta fuil-
 „ se agitata legimus; cum fides præ a-
 „ liis virtutibus moralibus, quæ ad mo-
 „ rum correctionem conducunt, princi-
 „ pem obtineat locum, atque aliunde sit
 „ salutis fundamentum, ab eo autem,
 „ non item a tecto ædificii structura in-
 „ choetur, quin imo gravius delinqui
 „ ab eo, aiebant, qui aberrat a fide,
 „ quam qui in suis actionibus peccat. „
 Hisce rationibus illi, qui Legatis fave-
 bant, hæc insuper addiderunt: „ Ur-
 „ be obsessa potior cura intenditur ad ho-
 „ stes repellendos, quam emendandos ci-
 „ vium mores, ne forte hi magis exa-
 „ sperati opem, quam tum necessitas pe-
 „ tit, præstare renuant, præterea insa-
 „ num videtur, si Catholici primo in li-
 mi-

„mine sese reos esse faterentur, seque
 „rebellium cavillationibus submitte-
 „rent, eosque quodammodo tanquam
 „Judices agnoscerent. Præterea om-
 „nino indecens videtur, quod ad cu-
 „randa vulnera prorsus levia manus ad-
 „moveatur, ea vero negligantur, quæ
 „ad extremam fidelium ruinam pertra-
 „hant: de cetero cum non nisi de emen-
 „dandis paucis Curia Romanæ corru-
 „ptelis agatur, prudentiæ adversari vi-
 „detur, quod ipsemet Princeps Curiam
 „suam subditorum censuræ ac corre-
 „ptioni subjiciat; ipsius enim est pro il-
 „lius emendatione leges dictare: His
 „accedit, quod ii Prælati, qui hanc e-
 „mendationem urgent, ad hoc ea ex
 „caussa unice impellantur, ut hoc pacto
 „suis adulentur Principibus, qui Pon-
 „tifici minus propensi forte nil optatius
 „habent, quam ut pristina diffidia Pa-
 „pam inter & Constantiensis, ac Basi-
 „leensis Concilii fautores rursus susci-
 „tentur. „ Hæc erat sententia Cardi-
 „nalis Pacheci Aquensis Archiepiscopi,
 „Bituntini Antistitis, aliorumque, qui
 „ad evitanda incommoda, quæ fors ex
 „adversa opinione suboriri possent, om-
 „nino a fidei dogmatibus initium esse su-
 „mendum statuerunt, declarantes, quod
 „soli Pontifici Curiam suam ex legum
 „præscripto emendandi sollicitudo relin-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1546.

Sæcul. XVI
A. C. 1546.

Pallav. l. c.
n. 5.

quatur, ne forte Concilium hac in remiam severitatem adhibens, vulnera magis exulceret, quam sanet.

Potissimi vero ex Germaniæ Principibus, quos inter præcipuus erat Tridentinus Cardinalis, in hac fuere sententia, quod fidei dogmata absque prospero successu pertractarentur, nisi prius corruptelæ, unde hæreses progenitæ sunt, emendentur, inde vero Præsulles, qui huic sententiæ suffragabantur, sic inferebant: „Ægre admodum, do-
„nec populi offensio tollatur, morumque
„corruptio ab Ecclesiasticis eliminetur,
„fides adhibebitur doctrinis, quas illi
„populo annuntiabunt, alte enim om-
„nium animis ea infidet opinio, quod
„potius ad Pastorum exempla, quam
„verba attendendum sit: Præterea nul-
„latenus ex priscis Conciliis argumen-
„tum est petendum; eo enim tempore
„vel inter Christianos non adeo frequens
„erat morum corruptela, vel saltem illa
„ad hæreses occasionem non dederat.
„His accedit, quod tunc, cum morum
„correctio negligatur, Ecclesiastici im-
„patientes emendationis credi possent,
„id vero hæreticos a vera fide magis a-
„lienos, eorumque conversionem magis
„difficilem redderet. „ Hanc senten-
„tiam Pachecus Cardinalis, & Aquensis
„Archiepiscopus impugnabant, demon-
„stran-

Sæc. XVI.
A.C 1546.

strantes, maximi momenti rem esse, ut
 ulterioribus hæresis progressibus obex
 ponatur, ac proin illam communi quo-
 dam universalis Ecclesiæ Decreto repri-
 mere, summopere necessarium esset:
 Porro horum consilium eo tendebat, ut
 disciplinæ reformatio differatur, spe
 concepta, quod suæ Nationis Episcopis
 majori numero confluentibus tandem
 res ex eorum sententia decidi posset.

Tertio loco sententiam suam decla-
 rabat Thomas Campeggius Feltrensis
 Episcopus, qui hæc duo fidei & refor-
 mationis capita nullatenus a se invicem
 disjungenda censuit, eoquod nec ullum
 fidei dogma esset, quod non aliquo abu-
 su a quibusdam vitiatum fuerit, nec
 quisquam etiam abusus reperiretur, qui
 non ex sinistra quadam dogmatis inter-
 pretatione ortum suum traxerit: „qua-
 „propter, prosequeretur Campeggius,
 „utrumque simul est pertractandum, po-
 „tissimum eo nomine, quod cuncti ab
 „hoc Concilio, ad quod omnium oculi
 „sunt intenti, cunctis malis Ecclesiam
 „depravantibus remedium poni præ-
 „stolentur, hinc multo melius omnium
 „expectationi satisfiet, si conjunctim,
 „non autem per vices utrumque argu-
 „mentum agitetur; nec quoque ea res
 „magni moliminis censeatur, si diversi
 „Præsules examinandis dogmatibus,
 „&

Sæcul. XVI. „ & moribus emendandis præficerentur,
A.C. 1546. „ prout id jam antea a primo Legato fue-
 „ rat propositum. De cetero tamen hu-
 „ jus sententiæ executio eo promptius
 „ est maturanda, quo opportunius adhuc
 „ Principes Christiani mutua inter se
 „ concordia sunt uniti, cum timendum
 „ sit, ne forte progressu temporis novis
 „ identidem diffidiis collidantur. Hanc
 „ in rem cunctis Patribus est adlabo-
 „ randum, ut Synodus, quantum fieri
 „ poterit, in arctum temporis spatium
 „ contrahatur, ut Ecclesiæ non diu Pa-
 „ storibus suis destitutæ relinquatur, at-
 „ que alia evitentur incommoda. „ His
 verbis Thomas Campeggius innuere
 credebatur, quod mentem Pontificis
 fuerit affecutus, qui Synodum longius
 protrahi noluit. Porro hæc Feltrensis
 Episcopi sententia postmodum ceteris
 prævaluit: cum vero Legati in hoc
 confesso quicquam definire nollent, hinc
 ita pronuntiarunt: „ Quoniam rei gra-
 „ vitas amplius deliberandi spatium ex-
 „ postulat, cuncta, quæ a singulis prola-
 „ ta fuere, maturius ponderabimus, at-
 „ que in proximo confesso materias, ut
 „ de iis statuatur, proponemus. „ Po-
 stremo non deerant Galliæ Antistites,
 qui præprimis de pace stabilienda agen-
 dum censentes exponebant, quod ad
 Imperatorem, Regem Christianissimum

ce

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

ceterosque Principes hanc in rem literarum darentur, & iidem communicata ipsis convocata Synodi notitia rogarentur, quatenus ad Concilium pro stabilienda firma pace & ipsi suos decernerent Legatos, quin imo ipsimet etiam Lutheri Sectatores benigne invitarentur, ut sese Catholicis jungere velint. Verum Præses hoc negotium ad tempus magis opportunum rejecit, unde sancitum, quod singulis hebdomadibus feria secunda ac sexta duæ Congregationes sine ulteriori indictione haberentur.

Absoluto itaque præsentis confesso Legati literis Romam missis summum Pontificem de tota rei gestæ serie certiorum reddiderunt, eumque impense rogarunt, ut præter mandata eis promissa insuper pecuniarum subsidia transmitteret eroganda in pauperes illos Episcopos, qui Sanctitatis suæ, nec non Farnesii Cardinalis pollicitatione freti Synodum accesserunt. Mirum equidem videbatur, quod Pontifex ad hasce preces responsum distulerit, hinc conjiciebant nonnulli, quod Synodi negotia haud magnopere cordi habuerit, sed potius respexerit bellum, ad quod Farnesius priori anno Cæsarem contra Lutheri assecclas concitaverat; existimabat enim Pontifex, prout alii convitiabantur, quod

sæcul. XVI. quod jamjam muneri suo satisfacisset
 A C. 1546. cum Synodum a se convocatam inchoa-
 verit (*). Interea vero augebatur factio illorum, qui Synodi consultationes ab emendationis articulo incipiendas censebant, prout in sequenti Congregatione elucet.

§. XXXIX.

Materiarum ordo in Congregatione decretus.

Pallav. l. 6. c. 7. n. 6. Die vigesima secunda Januarii celebrata est Congregatio, in qua circa modum Synodi capita pertractandi inter
Raynald. hoc anno n. 10. Pa-

(*) Hoc summopere mirum, quod Continuator hanc calumniam a suo Paulo Sarpi excogitatam transcribere, imo & Pallavicinum tanquam illius testem allegare non erubuerit: cum ille tamen lib. 6. cap. 7. num. 4. putidum hoc mendacium his verbis confutarit: *Cum dies aliquot fuisset dilata responsio, subtilissimam hujus moræ causam Suavis profert: nimirum Pontificem bello in Protestantibus intentum, parum de Concilio laborasse: perinde quasi ab ultimo Decembris die, quo amplissima Legatis mandata miserat, ab ipso Suavi memorata, usque ad Idus Januarias, quo die oportuit hujusce responsionis literas fuisse obsignatas (quippe quæ ad Legatos pervenero*

Patres nova erat contentio; quippe ^{Sæcul. XVI.} Montanus Cardinalis præprimis hæc A.C. 1546. exposuit: „ Cum Patres in priori Con-
 „gregatione perpendissent, utrum dog-
 „matum simul ac emendationis examen
 „esset conjungendum, hinc rogo, ut quis-
 „que desuper suam promat sententiam,
 „quatenus demum in proxima Sessione
 „hac de re Decretum confici possit. „
 Hæc verba interrupit Cardinalis Triden-
 tinus, qui oratione satis elaborata de-
 monstrare nitebatur, ad correctionem
 morum præprimis esse respiciendum, eo-
 quod, inquiebat ipse, *Spiritus sanctus in no-
 bis habitare non potest, nisi prius vasa nostra*
per-

*venere ante confessum vigesimæ secundæ ejus-
 dem mensis) ingens aliquid contigisset, quo
 rerum conditionibus perturbatis, Pontificis
 animus verti potuerit: quasi idem, tametsi
 parum in Concilio spei fundasset, fuisset pas-
 surus, ut ex prætermissione horum mandato-
 rum, illius initia aliquid detrimenti caperent,
 quasi earum dubitationum plena solutio paulo
 post non pervenisset, die 22. Januarii signa-
 ta: ac denique, quasi opus sit, altiores caus-
 sas pervestigare, cur Epistolæ de rebus pluri-
 mis, iisque arduis Tridenti conscriptæ, quæ
 Romæ in peculiari Purpuratorum confesso e-
 rant expendendæ, non nisi post tres hebdo-
 madas responsum fuerit.*

Sæcul. XVI. *perpurgentur.* Huic sententiæ accedebant Caputaquensis & Clodiensis Antifites, qui comprobare satagebant, quod Cleri reformatio unicum, idque validissimum sit ad reconciliandos hæreticos remedium: cum autem Cardinalis oratio atque auctoritas ad permovendos Patrum animos vim exerere, ac plures ad ejus sententiam attrahere videretur, hinc primus Legatus verba fecit, hunc in modum perorans: „Grates ago Deo, „qui Tridentino Cardinali eam afflavit „mentem Viro Religionis studioso dignam, ut Christianæ gentis emendationem primo a Patribus, & demum a Clero inchoandam putaret; ego præteris paratum me exhibeo, ut qui ceteris gradu præcedo, exemplo pariter præeam, hinc Papiensi Episcopatu meo abdicabo, splendoremque suppellectilibus meæ deponam, & aulæ frequentiam imminuere spondeo, si igitur eadem & reliqui præstare voluerint, intra paucos dies tam celebris Ecclesiasticorum emendatio sperari poterit, ut nostrum exemplum omnibus aliis Nationibus incitamento futurum sit (*). Nec tam men

(*) Continuator totus in eo est, ut Lectori suo persuadeat, quod tam Papa, quam Cardinales reformationem omni conatu impedire voluerunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

„men idcirco dogmatum examen ne-
 „gligere oportet, minus vero permit-
 „tendum, ut tot gentes errorum tene-
 „bris involutæ Synodi luce, qua men-
 „tes earum illustrandæ forent, priva-
 „rentur: cum autem totius Christianæ
 „Reipublicæ emendatio magni molimi-
 „nis, ac diuturni temporis res sit, nec
 „sola Romana Curia, adversus quam
 „petulantius exclamatur, correctione
 „indigeat, sed morum pravitas haud
 „minor regnet in ceteris regionibus, at-
 „que abusus per omnes hominum ordi-
 „nes latius serpent, minime par est, ut
 „fideles usque ad exitum tam prolixi o-
 „peris, de vera divini Magistri doctrina
 „incerti relinquuntur.,

Hæc primarii Legati oratio eorum
 potissimos, qui prius emendationem ur-
 geri tanta vehementia postulabant, su-
 spensos tenebat, atque inter eos præci-
 pue Cardinalis Tridentinus, qui ob im-
 modicos Ecclesiæ redditus, suæque Aulæ
 magnificentiam se tacite reprehendi
 crediderat, non parum animo turbatus
 hæsit, dixitque, quod ejus dicta in si-
 nistram partem fuerint detorta, cum suæ
 men-

voluerint, cum tamen ex hoc ipso Cardinalium
 Legatorum exemplo falsitatis convinci posset.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII.

proat
E e

Sæc. XVI. mentis nunquam fuerit, quemquam a-
 A.C. 1546. crius perstringere; sibi vero satis notum
 sit, quod bini quandoque Episcopatus
 melius ab uno, quam unum ab aliis ad-
 ministraretur: de cetero autem semet-
 ipsum ad Brixientis Ecclesiæ abdicatio-
 nem paratum asserebat, si Synodo ita vi-
 sum fuerit. Posthæc Cardinalis sanctæ
 Crucis sententiæ sui Collegæ suffragan-
 turus ostendit, quod pro more veterum
 Conciliorum a fidei definitionibus in-
 choare, summopere necessarium sit: nec
 minus in eandem quoque sententiam abi-
 ere Polus & Pachecus Cardinales,
 hæc addentes, quod morum emendatio
 nullatenus coarctanda sit ad particula-
 rem hominum classem, sed omnibus præ-
 scribenda foret. Id etiam generalis Or-
 dinis Servorum Præfectus suo suffragio
 com-

prout optime observat Pallavicinus l. c. n. 8.
 his verbis: *Hæc Legati dicta, quasi per in-
 cantamentum, omnium vultus animosque mu-
 tarunt. Invaluerat ad eam usque diem per-
 suasio, ab hominibus Romanæ Aulæ additis
 nihil æque formidari, ac leges, quibus ipsi
 reformarentur: Fidem & dogmata, speciosa
 quædam esse vocabula, & fucum simulati stu-
 dii religionis tuendæ. Sed ubi Patres exper-
 ti sunt in Legatis tam promptos animos ad
 emendationem reipsa complectendam, suspore
 simul*

comprobavit præcipue ex eo, quod hæretici corruptos fidelium mores Catholicæ Religionis falsitati perperam adscribere videantur, unde nisi prius nostræ Religionis veritas stabiliatur, qualiscunque demum disciplinæ reparatio accesserit, nunquam tamen eorum doctrina, quorum vita populo offensionis adhuc est, tanquam vera admittetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Attamen omnes hæ rationes nequam obstabant, quo minus Patres utrumque tam fidei, quam emendationis caput conjunctim pertractandum statuerent, prout aliunde id potissimum in votis habebant, ac oppido necessarium esse censebant, & quamvis Legati hanc postremam de Reformatione quæstionem minime agitari desiderarent, veri-

E e 2 ti,

simul ac plausu rem exceperere: solum Tridentinum pudor incessit, cum se cerneret ex omnium ductore, ac pene jam ante pugnam triumphante, qualis ingressus fuerat, repente destitutum, ac peditem, Et ex omnium accurato censore ad censuram oblique vocatum, tanquam emendationis indigum, ob Ecclesiasticorum proventuum opulentiam, ac domestici cultus magnificentiam. Animo itaque conturbato subdidit: Sua dicta sinistram in partem esse detorta.

Sæcul. XVI
A.C. 1546.

ti, ne eam unice pertractare compellerentur, nihilominus haud parum mirabantur, quod Patres hæc duo argumenta ab invicem disjungi nollent, ac proinde eorum sententia prævaluisset, præterquam quod aliunde omnibus Christianæ Reipublicæ ordinibus, qui emendationem urgebant, haud oblucri possent. Potissima vero ratio, quæ utrumque caput conjunctim prosequi persuasit, inde fluebat, quod in nupero Wormatiensi Conventu sancitum esset, ut posthæc, si in Concilio dogmatum ac reformationis discussio successum non haberet, nec malis, quibus Ecclesia opprimitur, opportunum adhiberetur remedium, tunc alius Ratisbonæ indiceretur Conventus, in quo huic necessitati consuleretur. Re igitur mature perpensa Patres citra periculum separatim aut dogma, aut reformationem discuti haud posse existimarunt, sed utrumque simul agitare decreverunt, veriti, ne homines Laici non sine Ecclesiæ opprobrio, ac hæreticorum triumpho id negotii in se susciperent: Igitur decretum, quod conjunctim de doctrina, morumque reformatione agendum sit. Facta hac deliberatione Præsides literas ad Papam dederunt, Episcopo S. Marci injungentes, ut epistolas ad Cæsarem, Romanorum & Galliarum Reges, nec non ad

ad alios Reges Catholicos a Synodo Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
mittendas conficeret, easque in proxima Congregatione exhiberet.

§. XL.

*Legati ob hoc Decretum a Papa
datis literis vehementer objur-
gati.*

Insuper Legati rem gestam Farnesio Pallav. l. 6.
Cardinali per literas exposuerunt, e-c. 7. n. II. &c.
jusque studium, ac officia Romanæ Curia, præcipue vero Pontifici præstita extulerunt. Verum Romæ non deerant, qui minus honorifice de Legatis sentiebant, unde pro eo, quod eorum agendi ratio laudibus celebraretur, a Farnesio & Maffeo Cardinalibus literas receperunt, quibus nuperum Decretum minime exequi jubebantur. Præterea eis significatum, quod duo tanti momenti, tantæque deliberationis capita nullo pacto simul agitari valerent, sed potius pro more veterum Conciliorum insistendum foret digniori argumento, cujusmodi fides ac dogmata essent, cum illa plurimum virtutes, quæ mores regunt, antecellant, hinc admonebantur Legati, ne a quibusdam inquietæ indolis hominibus sese abripi patiantur, præcipue cum illud fortunæ arbitrio commisissent, quod ex Pontificis mandato exe-

Sæcul. XVI. qui debuissent. Verum Papa, ubi de
A.C. 1546. priori Legatorum Decreto certior fue-
 rat factus, acriori adhuc objurgatione
 eos excepit, significans, quod ægerri-
 me ferret, eos reformationis examini
 consensisse, unde ad priora illius man-
 data exacte perficienda regrederentur,
 nec ullo pacto permitterent, ut præter
 fidei articulos de alio capite ageretur,
 quamvis Decretum in postrema Con-
 gregatione a Synodi Patribus condi-
 tum obstaret.

§. XLI.

*Legatorum excusatio Farnesio Car-
 dinali exposita.*

Fallav. l. c.
n. 14. & 16.

Hæc Pontificis epistola Legatos haud
 parum affligebat, eos tamen magis
 anxios reddebat mandatum, vi cujus hæc
 a se gesta revocare jubebantur; hoc enim
 pacto suam existimationem in discrimen
 adduci cernebant: Ut igitur se ab hoc
 periculo expedirent datis ad Farnesium
 Cardinalem literis eidem significarunt,
 quod, si Patribus Pontificis voluntatem
 de solius fidei negotio in Synodo per-
 tractando manifestassent, abs dubio Pon-
 tificiam auctoritatem ignominia, se ve-
 ro omnium ludibrio exposuissent, simul-
 que omnem auctoritatem amisissent,
 præcipue cum illi, quibus Decreti re-

vocationem privatim significabant, jam-
 jam his verbis mentem suam declaraf-
 sent, nolle se ea in re a Papa deludi,
 quemadmodum in Pisana Synodo ab A-
 lexandro V., & in Constantiensi a Mar-
 tino V. Patres delusi fuissent, cum hi
 Pontifices examinatis fidei dogmatibus
 Synodum solvissent, neglecta morum e-
 mendatione (*). Unde Bucerus, ejus-
 que Sectatores jamjam in vulgus spar-
 serunt, quod eorum doctrinæ in Syno-
 do proscribantur, non tamen pro-
 scribentium vitia emendentur: in-
 super omnium Præfulum mentibus ea
 insculpta est opinio, quod Pontifices
 morum correctionem metuentes cele-
 brandæ Synodo moras interjecissent:
 „Nos vero, prosequerentur Legati, Pon-
 „tificis auctoritatem in periculum vo-
 E e 4 caf-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

(*) Hæc perperam ab iis, qui sub emen-
 dandæ Curia Romanæ prætextu Pontificis au-
 ctoritatem evertere intendunt, fuisse prolata,
 constat ex ipsa historiæ veritate; quippe Ale-
 xander V. vix electus toto studio Ecclesiæ cor-
 rectioni incubuit, hancque in rem octo Cardi-
 nales, qui cum Præfulum Procuratoribus in ea
 inquirant, quæ corrigenda sunt, instituit, si hi-
 smatis reliquias sustulit, generale Concilium in-
 tra triennium celebrandum indixit, mortuorum
 Præfulum spolia ac fructus vacante sede prove-
 nientes reservari prohibuit, & pecunias ærario
 Pon-

Sæcul. XVI „ cassemus, si de reformatione agi omni-
 A. C. 1546. „ no repugnassemus. Ceterum nobis
 „ etiam invitis Decretum hoc fuit condi-
 „ tum, nunc ergo Sedis Apostolicæ in-
 „ terest, ut sese huic consilio haud oblu-
 „ ctari ostendat; hac enim via facile
 „ præpediri poterit, ne in Germaniæ Co-
 „ mitiis profani Principes hac de re quic-
 „ quam decernendi auctoritatem sibi ar-
 „ rogent: Porro adhuc nobis integrum
 „ est hujus Decreti executionem differ-
 „ re, quamdiu id bene visum fuerit, quin
 „ imo ut nostram erga Pontificis jussa
 „ submissionem luculentius testemur,
 „ hujus Decreti promulgationem ad a-
 „ liam Sessionem rejiciemus, ut clarius
 „ hac de re responsum a Papa prætolari
 „ valeamus. „ Ad hæc Farnesius Le-
 gatis

Pontificio adhuc debitas, seu annatas, remisit,
 ad id quoque Cardinales induxit, & de cele-
 brandis Synodis Decreta condidit: num hic
 Pontifex intra quatuor menses plura pro refor-
 matione perficere potuisset, cum die 26. Junii
 in Papam electus jamjam mense Octobri ejus-
 dem anni 1409. obierit. Vide Hist. Fleury Con-
 tin. §. 32. & 33. Nonne etiam Martinus V. pro
 reformationis negotio Cardinalium cœtum insti-
 tuit, Decreta condidit, concordata cum Natio-
 nibus pro tollendis juribus, quæ appellabant
 corruptelas, erexit, & plura alia hanc in rem
 de-

gatis reposuit, quod summus Pontifex Sæcul. XVI. A. C. 1546.
 iram posuisset, nilque magis optet, quam
 ut Decreti publicationem, quamdiu pos-
 sent, differrent, simulque Pontificis man-
 datum exspectarent, ex quo Decretum
 condendi modum percepturi essent.
 Hæc notitia Legatis gratissima acci-
 dit (*).

§. XLII.

*Patres a Cæsare datis literis con-
 tra hæreticos lente procede-
 re iussi.*

Quamprimum Cæsari præfatum De- Pallav. l. c. n. 17.
 cretum innotuit, mox literas ad
 Pachecum Cardinalem dedit, Dandino
 autem, qui apud Imperatorem Pontifi-
 cis

E e 5

decrevit? Nonne a Papa ad Concilium appel-
 lare prohibuit, quæ sane appellatio inter ma-
 ximas corruptelas merito numerari potest. Ita-
 que Pontifices ideo duntaxat reformationem ne-
 glexisse insimulantur, quia sese jurisdictione,
 & auctoritate suprema sibi a Deo concessa non
 abdicarunt, quod tamen Pseudo-Politici vo-
 lunt.

(*) Hanc in rem Continuator Pallavici-
 num allegavit, qui tamen ne verbo quidem de
 hoc mentionem facit, ast e re Continuatoris
 fuit, ut rursus Pontificem a reformatione alie-
 num Lectori suo depingat.

Sæcul. XVI. A. C. 1546. cis Legatum agebat, injunxit, ut Legatis præciperet, quatenus in hoc negotio lentius procederent, nec Protestantes anathemate percellerent, ne forte illi adhuc magis in furorem agerentur.

§. XLIII.

Congregatio de legendis literis, nec non de Synodi sigillo.

Paltav. c. 8. n. 1. & 2. Raynald. ex MS. Arch. sign. 3232. p. 112. & ex Diario Conc. Trid. p. 68. ad hunc ann. n. 18.

Die vigesima nona Januarii alius habebatur Patrum confessus, in quo recitatæ fuerunt literæ, quas Episcopus D. Marci ad Principes perscribere jussus erat. Insuper ibidem fuit sancitum, ut pariter epistola ad Papam mitteretur, in qua Patres Pontifici ob convocatam, inceptamque Synodum grates agerent, simulque eundem rogarent, ut Principes Christianos ad mutuam inter se pacem hortaretur, eosque moneret, ut suos quoque Episcopos ac Legatos ad Tridentinam Synodum decernerent. Hanc in rem Majerano Archiepiscopo ex Synodi consensu observare placuit, quod in literis ad Papam datis non adeo sollicitè, ut Italiæ Episcopos ad Synodum sollicitaret, ab eo peteretur, sed potius, ut exterarum nationum Antistites, qui ejus jurisdictioni subsunt, Tridentum accedere urgeret. Porro Episcopus Castellimarinus contendebat, quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

3. J. vallat
2. n. 8. 9

quod hasce literas vel omnes Prælati, vel saltem aliqui suo chirographo munerent. Huic autem Cardinalis Montanus reposuit, admonens eum, ne prærogativam muneri Legatorum debitam invideret. Posthæc agitabatur rursus quæstio, an Galliarum Rex præponendus esset Romanorum Regi, causstantibus Gallis, quod eorum Rex reapse Rex, Romanorum vero Rex non nisi talis in spe esset. Ex adverso Germaniæ Episcopi demonstrabant, Regem Romanorum pari cum Imperatore auctoritate pollere. Tandem ex omnibus hisce litibus nova disceptatio oriebatur circa sigilla Decretis apponenda; nam disceptabatur, utrum speciale sigillum, quod sanctum Spiritum in figura columbæ unacum Synodi nomine exhiberet, esset imprimendum. Verum Legati dextere exposuerunt, quod Tridenti non inveniantur sigillorum sculptores, Venetias vero mittere longiorem deposceret moram, ac proin fatius foret, interea primi Legati sigillum adhibere. Placuit Patribus hoc Cardinalis consilium, unde literæ non Synodi, sed Legatorum nomine ad Cæsarem, ceterosque Principes mittebantur (*).

§. XLIV.

(*) Cum hasce nugas nec Pallavicinus, nec Ray-

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. XLIV.

*Synodi Patres in tres ordines
distributi.*

*Pallav. l. c.
c. 8. n. 5.*

In eadem Congregatione a Legatis est propositum, quod omnes Synodi Patres in tres dividerentur cœtus, qui in singulis eorundem Legatorum ædibus separati convenirent, priusquam ea, de quibus deliberarunt, in Congregatione generali proponerentur: Id vero fiebat ex eo, ut ibidem omnes cum majori facilitate, ac minori tumultu percipi possent, cum magis expedite, magisque libere in tribus diversis locis sententias suas promere valerent, hacque ratione citra confusionem, quam semper magnus deliberantium numerus parit, singulis pro libitu suo vel patrio, vel Latino sermone disputare liceret. Verum, ut inquit Pallavicinus, *Legatorum mens tria insuper in eo spectabat comoda. Primum erat ratio longe facillior moderandæ multitudinis, in tres quasi rivulos attenuatæ, quam in ingentem fluvium in-*

Raynaldus a Continuatore allegati recentent, haud temere conjicimus, quod Continuator ea vel ex proprio cerebro, vel ex alio quodam putido fonte hauserit.

tumescens. Alterum erat, per eam parti-
 tionem perfringi factiones & fœdera, qui-
 bus Patres irretiri possent cujuscumque vel au-
 thoritate vel arte. Postremum, quo vita-
 retur, ne quis ingenio turbulento, sed simul
 dicendi vehementia & eloquentia præditus,
 univèrsam Convèntum ad aliquid perniciosum
 dèrepente impelleret. His ita dispositis
 seligebantur illi Præsules, ex quibus hæ-
 tres classes constarent, hancque in
 rem unanimi suffragio decretum, quod
 Madrutius & Pachæcus ad hosce con-
 fessus suos Deputatos ablegarent.

Sæcul XVI.
 A.C. 1546.

§. XLV.

*Ibidem actum de Symbolo, & dif-
 ferenda Decreti executione.*

Igitur juxta præscriptam a Patribus nor-
 mam die secunda Februarii in Lega-
 torum ædibus privati incipiebant con-
 gressus, in quibus præprimis Patrum
 nonnulli Decretum circa dogmatum &
 emendationis examen differri postula-
 bant. Ad quod Legati hunc in modum
 responderunt: „Hæc petitio nobis æ-
 „quissima videtur, cum plures adhuc E-
 „piscopi ac Germaniæ Principes prope-
 „diem sint adventuri, simulque Episco-
 „pus Patavinus Romanorum Regis Le-
 „gatus sese itineri jamjam accinxerit,
 „ac proxime ex Galliis Francisci Regis
 „Ora-

Sæcul. XVI. „Orator unacum duodecim Episcopis
 A.C. 1546. „ac Theologorum quam plurimis brevi
 „accessurus speretur. Notum quoque
 „est, quod Cæsar octo Præsules ex Hi-
 „spania Tridentum contendere iusserit,
 „eoque destinaverit Franciscum Toleta-
 „num Oratorem, qui Mendozæ lenta
 „quartana laborantis vices ageret. Nec
 „minus etiam summus Pontifex ferme
 „omnes Italix Præsules eo proficisci sti-
 „mulat, proin satis rationi consonum
 „est, ut absentium quoque ratione habi-
 „ta eorum adventus expectetur, cum
 „eorum consensus majus etiam robur,
 „atque auctoritatem Synodi Decretis
 „conciliare possit. „ Insuper Aquensis
 Archiepiscopus exposuit, indecens vi-
 „deri, si Sessio aliqua nullo Decreto ibi-
 „dem condito haberetur. Huic quoque
 sententiæ suffragabatur Episcopus Ca-
 „stellimarinus, reliqui vero absentes esse
 præstolandos contendebant. Denique
 Petrus Bartanus ex Ordine FF. Prædi-
 „catorum Theologus ac Fanensis Episco-
 „pus existimabat, quod pro more præce-
 „dentium Synodorum in Sessione proxi-
 „ma Fidei Symbolum ab Ecclesia in Mis-
 „sæ Sacrificio cantari solitum publice fo-
 „ret recitandum: Cum autem Seripan-
 „dus vehementer miraretur, quod Lega-
 „ti promulgationem Decreti differri pe-
 „terent, hujus rei causam ignorans &
 ipse

ipſe Fanenſis Epifcopi ſententiæ acceſſit, illamque confirmavit exemplo Tolletanarum Synodorum, in quibus memorati Symboli profeſſio ſemper quodcumque aliud Decretum præceſſerat.

§. XLVI.

Quorundam Epifcoporum oppoſitio contra Symboli promulgationem.

Epifcoporum nonnulli, atque inter eos præcipue Bituntinus, & Clodiensis hæc exponebant: „ Haud congruum videtur, quod eo duntaxat ex fine Seſſio celebretur, ut in ea recitetur Symbolum, quod tamen mille ducentis ab hinc annis fuit receptum, & a nemine impugnatum: nam hoc agendi modo, agebant ipſi, Patres ſeſe æmulatorum ludibrio, iniquis vero criticorum ſermonibus exponerent. Neque etiam hanc in rem veterum Conciliorum exempla ſunt adducenda, eo quod tum in illis Patres vel Symbola contra hæreſes a ſemetiſſis damnatas compoſuiſſent, vel priora Symbola, quæ adverſus hæreſes antea ab aliis fuerunt facta, ad augendam eorum auctoritatem adjecta quadam explicatione innovaſſent, vel ſaltem ea rurfus in memoriam revocare ſtudiſſent: nunc autem nec de Symbolo recens conficiendo,

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Pallav. l. 6.

L. 6. c. 1. 1. 1.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

„do, nec per quamdam explanationem
„augendo agitur; omnibus equidem
„constat, quod olim ex ipso Symbolo
„hæretici, qui contra quemdam illius
„articulum erraverunt, fuerint convicti;
„ast illud frustra adhibetur adversus Lu-
„theri Sectatores, qui omnes Symboli
„articulos æque ac Catholici credunt.
His insuper Episcopus Clodiensis sub-
junxit, quod rationes in Decreto alla-
tæ ab hæreticis in rem suam verti pos-
sent; si enim Symbolum ad infideles
convertendos, hæreticos expugnandos
atque ad fideles in fide roborandos con-
ducit, facile exinde inferre possent hære-
tici, quod ad alia, quam ea, quæ in Sym-
bolo continentur, cogi nequeant. Ve-
rum his ceteri opponebant, quod in ex-
plananda quacunque doctrina a princi-
piis, iisque certissimis, ac maxime re-
ceptis ordiri fas esset. Præplacuit ho-
rum sententia Legatis, eo potissimum
nomine, quod res pacato animo fuerit
proposita, quocirca in confessu altera die
tertia Februarii habito Symboli pro-
mulgatio ex plurimorum suffragio fuit
decreta.

§. XLVII.

Sessio III. Concilii Tridentini.

*Labbe Coll.
Conc. t. 14.
p. 743.*

Die quarta ejusdem mensis, ad quam
Sessio tertia fuit indicta, Synodi Pa-
tres

tres in Ecclesia convenerant, ibidemque **Sæcul. XVI.**
 Petrus Tagliavia Panormitanus Archi- **A C. 1546.**
 episcopus ritu solemnī Missam de Spiri- **Pallav. c. 2.**
 tu sancto celebravit, Ambrosius vero **Raynald.**
 Catharinus ex Ordine Fratrum Prædi- **ann. 1546.**
 catorum sermonem habuit Latino ser- **n. 15.**
 mone conceptum, in quo propter Syno-
 di tot annis exoptatæ celebrationem in-
 gens suum gaudium testabatur, ac simul
 Synodi Patres monebat, ut D. Petri la-
 psū pertimescerent, qui sui ipsius con-
 fidentia plenus palam professus est, quod
 paratus sit mori cum Christo, & tamen
 ad ancillæ vocem Magistrum suum ab-
 negavit. „ Binæ pariter, inquiebat hic
 „ Religiosus, dantur ancillæ, quæ no-
 „ bis merito pertimescendæ sunt, ac
 „ contra quarum insidias semper in ex-
 „ cubiis stare debemus. Prima est pro-
 „ pria caro nostra, quæ nos ad bonorum
 „ terrestrium desideria, hujusque vitæ de-
 „ litias invitāt, eaque tam potens est, ut
 „ & Petrum inducat ad Magistrī sui ab-
 „ negationem, cum ad bonum sit igna-
 „ va, & ad malum proclivis, horret
 „ pœnitentiam, cordisque mœstitiam,
 „ preces fastidit, surdasque Dei Verbo
 „ aures præbet, hæc sunt ea vitia, quæ
 „ novas progenuerunt hæreses. Alte-
 „ ra est ambitio nostra, quæ non minus
 „ ac prior formidanda venit, cum om-
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Ff nium

Sæcul. XVI. „nium hæreticorum Mater, obstetrix,
 A.C. 1546. „nurusque fit. „

Postea Catharinus ad tertiam D. Petri abnegationem, cui non jam ancillæ, sed Viri vox ansam dedit, sermonem convertens, inquit: „Nescio, an non „forte ipsimet Christi Domini Discipuli „veniant sub illo homine, ad cuius al- „loquium hic Apostolorum Princeps „cæpit anathematizare, & jurare dicens: „quia nescio hominem istum, quem dicitis. „Id vero mihi videtur, quod Vir ille, „qui D. Petrum interrogabat, sit pote- „stas profana, quæ suis minis nonnun- „quam fideles ad Christi Domini abne- „gationem inducit, hinc vos omnes hor- „tor, ne ob hanc potestatem Magistri ve- „stri immemores potius Ariminensem „Synodum, aliasque in memoriam re- „vocetis, ac Christum Dominum tan- „quam medium inter vos, eumque so- „lum potentissimum, Regem Regum, & „Dominum Dominantium respiciatis: „si vero Principum non nemo Synodi „opportunitate abuti, eamque ad pri- „vata sua studia detorquere vellet, hunc „abominari debetis tanquam Virum, qui „non in hominem, sed in Spiritum san- „ctum delinquit, aut si idem Princeps „consilia charitati adversa suggerit, re- „spondete illi: *Deus charitas est*: si au- „tem veritatem labefactare intendit, &

„ VOS

„vos e medio tollere minatur, exclama-
 „te, *hæc est vita æterna, ut cognoscamus*
 „*solum Deum verum, & quem misit Jesum*
 „*Christum.* Mementote, scriptum esse
 „in Evangelio D. Matthæi: *Nolite ti-*
 „*mere eos, qui occidunt corpus, animam*
 „*autem non possunt occidere, sed potius ti-*
 „*mete eum, qui potest & animam & corpus*
 „*perdere in gehennam.* Denique iisdem
 S. Simeonis verbis, a quibus exorsus est,
 sermonem suum absolvit, eaque hoc mo-
 do interpretatus est: „Nunc dimit-
 „tis Domine servum tuum, secun-
 „dum verbum tuum in pace, quia vi-
 „derunt oculi mei fructum & bona fa-
 „lutaris hujus Concilii, quod parasti an-
 „te faciem omnium populorum tan-
 „quam lumen ad revelationem gentium
 „& gloriam plebis tuæ Israel.”

§. XLVIII.

Hujus Sessionis Decretum de Symbolo.

Absoluta hac Catharini oratione Turi-
 tanus Archiepiscopus quoddam De-
 cretum legit his verbis conceptum:
Hæc sacrosancta œcumenica, & generalis
Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legi-
time congregata, in ea præsidentibus eisdem
tribus Apostolicæ Sedis Legatis, magnitu-
dinem rerum tractandarum considerans, præ-
sertim earum, quæ duobus illis capitibus, de
extirpandis hæresibus, & moribus resor-

Ff 2

man-

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Sæcul. XVI. A.C. 1546. mandis continentur, quorum causa præcipue est congregata; agnoscens autem cum Apostolo, non esse sibi colluctationem adversus carnem & sanguinem, sed adversus spirituales nequitas in cælestibus, cum eodem omnes & singulos imprimis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis ejus in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atque galeam spei salutis accipiant, cum gladio spiritus, quod est Verbum Dei. Itaque ut hæc pia ejus sollicitudo principium & progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit, & decernit, præmittendam esse confessionem fidei, Patrum exemplo in hoc secuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes hæreses in principio suarum actionum apponere consuevere: quo solo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt: Quare Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit. Postea fidei Symbolum, prout in cunctis Ecclesiis decantari solet, integrum recitabatur, simulque prælegebatur Decretum,

vi cuius proxima Sessio ad octavam Aprilis diem indicebatur. Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Utrumque hoc Decretum unanimi omnium suffragio fuit approbatum, nonnulli tamen Episcopi quædam esse addenda contendebant, hancque ob rem, ut disputationis contentionem declinarent, scriptotenus sua postulata exposuerunt. Hos inter Fesulanus Episcopus huic Decreto, aliisque in posterum condendis, hæc verba præfigi petiit: *Universalem Ecclesiam repræsentans.* Ceteri vero duo Antistites Caputaquensis, & Paxaugustensis exponebant, quod hæc verba in præsentis Decreto omitti lubenter permetterent, ea tamen lege, ut in ceteris omnino adderentur.

§. XLIX.

Palatinus Elector novæ Lutheri reformationi addictus.

Hucusque ob Synodum Tridenti inchoatam ac celebratam Religionis negotia in Germania haud aliam induebant faciem; quippe Protestantes Principes mense Januario Francofurti convenere, ibidemque sese adversus Synodum præmunierunt, simulque innovato fœdere belli sumptus contra Henricum Brunsvicensem impendendos suppeditare, nec non Coloniensem Archiepiscopum

Sæcul. XVI.
A.C. 1546. pum defendere decreverunt. Statue-
bant insuper, Cæsarem esse sollicitan-
dum, ut Religionis dissidia componeret,
atque in hisce Comitibus Cameræ Impe-
rialis iudicium emendaret. Sub idem
tempus præfati Archiepiscopi Oratores
non modo contra Coloniensem Clerum,
sed etiam adversus ipsum Papam ac Cæ-
sarem querebantur, eoquod hi Archie-
piscopo præcepissent, ut is se illis siste-
ret. Hæc cum agerentur, interea Pa-
latinus Elector novam Lutheri reforma-
tionem in suum Electoratum invexit,
nec non hujus sectæ Præcones advoca-
vit, simulque Communionem sub utra-
que specie Laicis, Sacerdotibus vero
Conjugium permisit, nec minus postea
die decima Januarii Missæ Sacrificium,
prout in Ecclesia Catholica celebratur,
Heidbergæ fuit abrogatum, ac Coenæ
dominicæ ritus in idiomate vulgari per-
actus. Re percepta mox Protestantes,
Legatione decreta, Electori novam hanc
reformationem gratulabantur, grates-
que agebant, quod Coloniensis Archie-
piscopi Legatis perbenigne respondisset,
demum vero eundem hortabantur, ut
coeptis immote insisteret, palamque Au-
gustanæ Confessionis doctrinam profite-
retur, tandemque in proximis Comitibus
Ratisbonæ celebrandis operam daret, ut
circa Religionis negotia pax firma con-
sti-

stitueretur. Ad hæc respondit Palati-
 nus hunc in modum: *Perpetuo pacis sui* Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
studiosus, semperque eo intentus ero, quam-
diu vixero: De Coloniensi Archipræsule
plurimum doleo, quod ad hunc modum exa-
gitetur in hac præsertim ætate, quando igi-
tur vos ad Cæsarem, & ad Clerum, nec
non ad Senatum Coloniensem vestros Deputa-
tos precatum mittetis, meos quoque Legatos
eo decernam. Equidem in Religionis causa
multis nunc annis conciliationem aliquam
sperabam, quia vero rem periculose differri
cerno. neque spes magna subest, hinc non
potui populi mei votum atque expectationem
diutius retardare, itaque rituum, ac doctri-
næ emendationem institui, quam & urgere
deinceps cogito, palamque eandem profiteri.

§. L.

Landgravii epistola ad Granvella-
num de bello in Protestantes
movendo.

Die decima septima Januarii quatuor Sleid. p. 552.
& 553.
 Electorum, quorum ditiones ad
 Rhenum pertingunt, nimirum Coloni-
 ensis, Moguntini, Trevirensis & Pala-
 tini Comitis Oratores Vesaliæ conve-
 nerant, eo fine, ut Archiepiscopi Co-
 loniensis defensionem in se susciperent.
 Verum solus Palatinus eidem opitula-
 batur, ceteri vero illius causam tueri

Ff 4

re-

Sæcul. XVI. recusabant, Cæsaris indignationem ve-
 A.C. 1546 riti. Eodem tempore rumor ubique
 spargi cœperat, quod Carolus Cæsar oc-
 culte bellum contra Protestantes ador-
 naret, quapropter Landgravius die vi-
 gesima quarta Januarii datis literis hæc
 Granvellano exposuit: *Non modo ex
 Germania, sed & ex Italia, aliisque locis
 nuntiatur, quod Cæsar atque Pontifex ad-
 ornent bellum in Lutheranos, velintque tueri
 Concilium, ac primo vere facere cogitant
 initium, ita quidem, ut in Coloniensem Ar-
 chiepiscopatum ex inferiori Germania, in Sa-
 xoniam autem ex Bohemia, & in superio-
 rem Germaniam ex Italia fiat impetus: ha-
 bebunt quoque Cæsar ad decem millia peditum,
 & equitum cohortes aliquot, custodia loco,
 qui Ratisbonam ipsum deducant: hic rumor
 non vulgo tantum spargitur, sed ab ipsis
 quoque tribunis & centurionibus ac belli du-
 cibus, quorum nonnulli jactitant, ipsis a Cæ-
 sare jam esse numeratam pecuniam: cum au-
 tem Gallicæ Regem Cæsar habeat pacatum,
 inducias quoque sit pactus cum Furca, sicut
 plerique confirmant, mirum videtur multis,
 in quem usum copias conducatur: mihi quidem
 atque Sociis, dum ad pacificationem primum
 Norimbergæ factam, postea Ratisbonæ, Spi-
 ræ, & aliis in locis confirmatam respicimus,
 non facile poterit persuaderi, ut id credamus
 esse verum, præsertim cum & Cæsari, &
 Ferdinando Regi contra Turcam, & alios
 etiam*

etiam hostes bonam operam navaverimus : *Sæcul. XVI.*
veram tamen, inquiebat Landgravius, hæc A.C. 1546.
 tibi volui familiariter explicare, quæ crebris
 literis atque nuntiis ad me Sociosque perse-
 runtur: potest enim fieri, ut ad Cæsarem
 de me, Sociisque consimilia dicantur a male-
 volis, quæ causam diffidentiae motumque su-
 scitent, & utrisque sumptum augeant: non
 dubito autem, quin mihi sis ad ea responsu-
 rus, & quia pacis Consiliarius adhuc qui-
 dem fuisti, oro, ut deinceps quoque Cæsa-
 rem eo flectas.

§. LI.

Granvellani responsum ad Landgra-
vii literas.

Ad hæc Granvellanus die septima Fe-
 bruarii Landgravio hanc in senten-
 tiam respondit: Cæsar neque pactum ul-
 lum habet cum Pontifice, neque militem con-
 scribit, nec ulli Duci pecuniam numeravit:
 quamquam si manum aliquam militum coe-
 gisset, non id cuiquam deberet videri mirum
 in hoc tempore, tanquam dubio rerum statu,
 quando vicini circum Reges atque Principes
 copias conscribunt: quis enim hoc in illo re-
 prehendat, si det operam, ne quid Provin-
 ciæ suæ detrimenti accipiant? miror vero,
 tam impudentes homines reperiri, qui talia de
 Cæsare spargant, cujus animus quam sit
 pacis & otii cupidus, nemini non perspectum

Sæcul. XVI esse potest: scio adeo, quantopere semper
 A.C. 1546. elaboraverit, ut firma pace fruere-
 tur Germania: hoc etiam nunc ipsius est voluntatis
 atque propositi, eaque de causa Colloquium
 Ratisbonæ instituit: illud de decem millibus
 pedum, quos Ratisbonam sit adducturus
 ad Comitia, nimis est vanum: quamquam si
 faceret, neque exemplo careret, quod Au-
 gustam Vindelicorum olim ita venerit, nec
 etiam caret ratione, quando quidem ad ip-
 sum varia de rebus atque statu Germaniæ
 nuntientur, sed est falsus rumor: jam enim
 Cæsar se paravit ad iter in Germaniam, &
 minimo cum comitatu proficiscitur, quod exi-
 stimet, animum suum perspectum esse omni-
 bus, & fore, ut nemo causam ipsi det, cur
 secus faciat: Archiepiscopus Coloniensis ip-
 sus est testis, quam benigne Cæsar & ele-
 menter egerit, quam amanter ipsum in vicam
 revocavit: licet enim graviter sit accusatus,
 nihil tamen Cæsar in ipsum statuit, quantum
 quidem salva licuit existimatione: nuper
 etiam per Navium admonuit, ut desistat, &
 Ratisbonensium Comitiorum Decretum ex-
 spectet: nam certe nec æquum est illius insti-
 tutum, neque Cæsarem decet, ut hæc in eo
 ferat, de quibus ipsum humanissime jam com-
 monefecit: ipse quidem universæ rei publicæ,
 sed in primis Germaniæ salva & prospera
 omnia precatur.

Hisce

Hisce literis Landgravius fidem attribuit, hosque rumores de bellico Cæsaris apparatu mere inanes fuisse credit, quamvis plurimis ex locis eisdem ejusmodi fama ad ejus aures pervenisset, non sine veritatis specie; quippe Cæsar reapse eo unice intentus erat, ut Protestantes tranquillitatis fiducia falleret, ampliusque temporis spatium nancisceretur, intra quod cuncta disponeret, quæ ad eos armis in obsequium revocandos necessaria censeret (*).

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

§. LII.

Theologorum colloquium Ratisbonæ habitum.

Quamvis Germaniæ res ad bellum spectare viderentur, nihilominus Imperator colloquium, quod Decreto in nuperis Wormatiensibus Comitibus edito sanxerat, sollicitè urgere haud destitit, hancque in rem Ratisbonæ ablegavit qua-

Sleidam. l. i. p. 555.

Cochl. in act. & script.

Luth. anno 1546. p. 313.

(*) Perperam Continuator Sleidani, quem totum descripsit, verbis de suo addidit, quod Carolus prior arma in Protestantes convertere molitus sit, cum tamen ipse lib. CXXXII. §. 87. p. 569. recenset, quod Protestantes jam ante septendecim annos contra Cæsarem Smalcaldiæ bellum adornarint.

Sæcul. XVI. A.C. 1546. quatuor Theologos, Petrum Malvendam Dominicanum natione Hispanum, Eberardum Billicum Doctorem ex Ordine Carmelitarum, Joannem Hofmesterum Augustinianum, & Joannem Cochlæum, quibus omnibus erat injunctum, ut cum aliis quatuor Theologis in arenam descenderent. His tanquam Auditores adjungebantur Georgius Loxanus, Caspar Caltentalus, Georgius Ilfingerus, & Bartholomæus Latomus, nec minus ex Protestantium Theologis aderant Bucerus, Brentius, Georgius Major, & Erardus Schnepfius, qui de sua secta Catholicis rationem redderent: itidem vero Auditorum partes agebant Volratus, Comes Waldeccus, Balthasar Gultlingus, Laurentius Zochus Jurisconsultus. Porro præter destinatum numerum pro Catholicis etiam accesserat Ambrosius Pelargus Dominicanus, Protestantes vero omnino tres submiserant, qui erant Joannes Pistorius, Martinus Frechtus & Theodorus Witus. Præterea duos hujus colloquii Præsides nominabat Cæsar, Mauritium Huttem Euchstadiensem Episcopum, & Fridericum Comitem Fürstenbergium, quorum primus jamjam prima Januarii, alter vero paucis post diebus Ratisbonam venerat, postquam ceteri Theologi jam antea una omnes eo convenissent.

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LIII.

Colloquii initium.

Die igitur vigesima septima Januarii *Sleid. & Cochl. ibid.*
colloquio datum est initium, ubi

Præsides demandatam sibi provinciam
exponebant, suamque moram excu-
santes Theologos hortabantur, ita eos
alloquentes: *In re tam gravi, tamque
sancta nihil affectibus tribuite, sed agite sin-
cere, Deumque verè amini, & concordiam
spectate. Dein nos nostram pollicemur ope-
ram, fidem & æquitatem: nunc vero expo-
nimus vobis, Cæsaris esse mandatum, ut
Protestantium Augustæ quondam exhibita
Confessio tractetur hoc in colloquio, tribus
primis omissis dogmatis de Trinitate, de Ver-
bi Incarnatione, de Peccato Originis: nam
illa duo non habent controversiam, hoc vero
postremum jam ante satis est disceptatum:
reliqua vero doctrinæ capita suo tractentur
ordine; nempe de Justificatione, de Remis-
sione peccatorum, de Legis impletione, de
Fide, de bonis Operibus, de Merito, de
Sacramentis, de Purgatorio, de suffragiis
mortuorum, de Veneratione & Invocatione
Divorum, de Reliquiis, de Statuis, de Vo-
tis monasticis, de Cælibatu Sacerdotum, de
Delectu ciborum, de Feriis, de Traditioni-
bus Ecclesiasticis, de Ecclesia, de Potestate
Clavium, de Ordine hierarchico, de Ro-*
ma-

Sæcul. XVI. *mani Pontificis, Episcoporum & Concilio-*
A.C. 1546. *rum autoritate.*

His ita expositis Protestantes collo-
 quii acta per Tabelliones describi postu-
 larunt, unde post crebras utrinque alter-
 cationes decretum, ut ex utraque parte
 duo, quæ hinc inde proferrentur, con-
 scriberent, atque acta in quamdam ci-
 stam reponerentur, nec ulli nisi reliquis
 præsentibus traderentur. Rebus hoc
 modo compositis Petrus Malvenda die
 quinta Februarii disputationem exor-
 sus est.

Præprimis Doctrinæ caput, quod
 est de Justificatione, prolixè admodum
 & more scholastico pertractavit: eum
 vero Bucerus interpellavit, dixitque,
 quod id pugnet contra colloquii leges,
 ac Cæsaris mandatum, atque in medio
 posita jaceat Confessio Augustana, ex ea
 igitur ut articulum de Justificatione de-
 promeret, & si quid redarguendum in-
 veniret, ordine suo confutaret, illum
 Bucerus hortabatur. Ast Malvenda
 propterea perorare haud destitit, atque
 ita conclusit, ut & libero arbitrio pluri-
 mum tribueret, hominemque non sola
 fide, sed etiam spe & charitate justifica-
 ri demonstraret. Altera die Bucerus
 jam ante quinque annos dogma de Ju-
 stificatione in Colloquio Ratisbonensi
 conciliatum fuisse asseruit, & quid Cæ-
 sar,

far, ac reliqui Ordines & Principes hac Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 super re statuerint, exposuit, atque hoc
 ipsum ad acta referri petiit. Posthæc
 juxta ordinem a Cæsare stabilitum idem
 dogma repetiit, illudque in quatuor di-
 vilit capita, in quorum primo affirma-
 vit: *Hominem non justificari coram Deo
 suis precibus ac meritis.* II. *Eundem gra-
 tis justificari per Christum per fidem, cum
 in gratiam se recipi, & peccata propter
 Christum sibi remitti credit.* III. *Christum
 sua morte pro peccatis nostris satisfecisse.*
 IV. *Deum nobis imputare fidem pro justitia.*
 Posthæc quatuor hosce articulos
 sacræ Paginæ testimoniis comprobare,
 atque exponere nitebatur, simulque, in
 quibus cum Malvenda conveniret, osten-
 debat, illiusque argumenta confutabat.
 Successit Malvendæ Billicus Carmelita,
 qui nonnullas Buceri propositiones, præ-
 cipue vero eas, quæ de Justificatione
 proposuerat, refellebat, simulque circa
 hæc omnia quicquam inter partes vel
 unquam fuisse conventum pernegabat.
 Die tertia Februarii rursus Malvenda
 Bucero respondit, statuitque, quod I.
*piæ actiones ad Justificationem disponant ac
 præparent.* II. *Charitas sit forma justitiæ.*
 III. *Justificatorum opera justificationem con-
 summent, vitamque æternam promereantur.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LIV.

Cæsaris epistola ad colloquii Theologos.

Steid. p. 557. Hisce quæstionibus interea agitatis, die decima quinta Februarii allatæ sunt Cæsaris literæ, in quibus hæc significabat: I. *Inter Præsides recipiatur Julius Pflugius Episcopus Naumburgicus, nec Collocutorum, aut Auditorum numerus augetur extraordinariis, nec etiam alii, quam quos Præsides delegissent, tabelliones acta describant.* II. *Omnes iurejurando silentium promittant, nec ulli mortalium aliquid enuntient de rebus colloquii prius, quam ad Cæsarem, & Ordines Imperii relatum sit.* III. *Ea, de quibus convenit, subscribantur ab utrisque, controversa vero paucissimis verbis, & summis tantum sententiis utriusque partis recitatis annotentur, & tabellionibus tradita serventur.*

Perlecta Cæsaris epistola Protestantes deliberandi spatium postulantes altera die hæc in responsis dederunt:
„Tertium hunc Præsidem acceptare non
„recusamus, dummodo id etiam nostris
„Principibus probetur, dein petimus,
„ut nostra responsa, cum nondum sint
„absoluta, perficere nobis liceat, cum
„ætaque in colloquio Ratisbonensi acta
„in tabulas referantur. Præterea po-
„stu-

„stulamus, ut Joanni Pistorio munus
 „Scribæ relinquatur, nec multæ quæ- Sæc. XVI.
A C. 1546.
 „stiones inter disputandum uno tempo-
 „re confundantur. Ceterum tam stri-
 „ctum de rebus gestis silentium promit-
 „tere haud possumus, eoquod in man-
 „datis habeamus, ut nostros Principes
 „subinde de colloqui statu certiores
 „reddamus.,,

§. LV.

Colloquium re infecta solutum.

Cum igitur Præsides probe intellige- Cochl. p. 314.
 rent, quod Protestantes Cæsaris
 mandatis sese subjicere omnino recusa-
 rent, datis ad eundem literis, quid hac
 in re agendum, sciscitabantur; attamen
 Saxoniae Elector, nequidem expectato
 Cæsaris responso, suos Theologos revo-
 cavit, ac die vigesima Martii Bucerus
 quoque, ut gesta Landgravio referret,
 discessit, non sine ingenti Præsidorum tæ-
 dio, qui ceteros haud ultra detinere po-
 terant.

§. LVI.

Martini Lutheri obitus.

Cum interea hæc colloquia haberen- Sleid. p. 563.
Pallav. hist.
Trid. l. 6.
c. 10.
Cochl. l. 6.
 tur, Protestantium factio præci-
 puum suum amisit caput Martinum Lu-
 therum, qui Islebiæ in patria sua die de-
 Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. G g ci-

Sæcul. XVI
A.C. 1546. circa Februarii morte deletus perit. Varia est Scriptorum relatio de huius obitus ratione, id tamen unice pro comperto habetur, quod Lutherus Wittembergam delatus ibidem suis in Genesin commentariis postremam manum admoverit, mox vero ad Comites Mansfeldios per literas Islebiam in patriam suam fuerit revocatus, ut dissidium inter Comites circa hæreditatem exortum componeret: cum vero hoc obsequii genus Principum suorum precibus denegare haud posset, exeunte mense Januario, quamvis adversa jamjam valetudine graviter pressus esset, Wittembergam discessit, sui que itineris socios habuit tres filios suos Joannem, Martinum & Paulum præter quosdam alios amicos suos, quos inter præcipuus erat Justus Jonas, Hallensis Ecclesiæ Minister. Adventanti Comites obviam miserant præsidii causa centum tredecim equites: cum vero Lutherus Islebiam esset ingressus, sæpius ad populum dixit, pluraque alia munera obivit, die autem decima septima Februarii gravissimo stomachi dolore oppressus suorum familiarium suafu quosdam pulveres vino dilutos sumpsit, ac parumper quieti indulgens aditantes ita allocutus est: *Orate Deum, ut Evangelii doctrinam nobis conservet; Pontifex enim & Concilium*

lium Tridentinum (prout ipse convitiabatur) *dira moliuntur.* Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

His dictis aliquamdiu obdormiscens, urgente morbi vi post mediam noctem expergefactus vehementer de pectoris coarctatione querebatur, jamque vitæ suæ finem instare præsentens juxta sectæ suæ ritum preces fudit, ac fiducia plenus dixit: *Certo scio, me cum Deo esse permansurum in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus a quopiam avelli.* Postea Spiritum suum Deo recommendans placide e vivis decessit, si tamen fides habenda eorum relationi, qui tum præsententes aderant. Ceterum Lutherus tum circiter sexagesimum quartum ætatis annum agebat, cum decima Novembris die anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo tertio natus esset. Cupiebant quidem Mansfeldii Comites ejus corpus Islebiæ, cum hæc urbs ipsius esset patria, terræ mandari; verum illud Saxonæ Electoris jussu Wittembergam honorifice translatum quinto post die sepultum fuit. Porro paucis ante mortem suam diebus Lutherus, quid de Zwinglii Sectatoribus sentiret, mentem suam aperuit in celebri illa epistola, quam die vigesima quinta Januarii contra illos scripsit; nam eos tanquam a Deo alienissimos reputabat, vicissim vero ab iisdem velut homo infelicissimus

Sæcul. XVI. mus appellabatur. Ad hos igitur
A.C. 1546. perscripsit: „ Gratum hoc a vobis mihi
 „ impositum accidit: sim ergo omnium
 „ hominum infelicissimus, in hoc tamen
 „ solo me beatum existimo, nec aliam
 „ mihi exopto beatitudinem, quam il-
 „ lam Psalmistæ: Beatus Vir, qui non
 „ abiit in consilio Sacramentarium, &
 „ in via Zwinglianorum non stetit, & in
 „ Cathedra Tigurinorum non sedit. „

Ceterum de nulla unquam re magis
 varia erat Historicorum narratio, quam
 de hujus Hæresiarchæ dotibus, atque
 obitus ejus eventibus; quippe varii rem
 pro diversa studii, suique affectus ratio-
 ne diverse enarrant. Protestantes qui-
 dem omnium elogiorum fontes, ut Lu-
 therum suum celebrent, operosius ex-
 hauriunt, eumque veluti Virum subli-
 mis ingenii excellentia, magna animi
 constantia, memoriæ felicitate ac fec-
 unditate, nec non profunda eloquen-
 tia tam verbis, quam scriptis compro-
 bata insignem depingunt. Jactitant il-
 lum tanquam a privati quæstus studio
 alienum quidem, constantem tamen ac
 paupertatis studiosum, nec non unice
 animarum saluti intentum, imo ut pau-
 cis concludam, Lutherum suum San-
 ctorum fastis adscribunt. Attamen il-
 li, qui partium studio haud præventi
 sunt,

funt, facile dignoscere poterunt, quid de ejusmodi elogiis cogitandum sit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

Porro Catholici communi suffragio affirmant, quod hic Hæresiarcha mente fuerit robustus, in suis sermonibus vehemens, eloquentia fœcundus, sed adeo furiis agitatus, ut audacia populos deciperet, atque ad se raperet, præterea audiebat ultra modum petulans, & tantæ sibi arrogatæ auctoritatis vi præditus, ut ejus Discipuli coram illo trepidarent. His addunt illi, quod ejus animus summa arrogantia sui que ipsius fiducia tantopere fuerit infectus, ut omnes illos, qui ejus opinionibus adversabantur, vilipenderet, ac hujus petulantix ministerio omnes illos, qui sese ejus hæresi opponebant, indignum in modum innumeris convitiis lacefferet, adeo, ut nec Regibus, nec Cæsari, nec ipsi etiam summo Pontifici parceret, nihilque tam sacrum, sanctumque ac intemeratum in terris esset, quod ipse non livido suo dente fœde corroderet; Insuper ea, quæ semel propugnauerat, retractare minime assuetus, totum se iracundiæ ac vindictæ libidini sacravit, adeo imperiosus, ut semper omnibus dominari, ceterisque omnibus ob doctrinæ suæ novitatem præferri percuperet, suamque sectam quocunque periculo stabilire gestiret. Erat denique Luthe-

Gg 3

sus

Sæcul. XVI. rus summopere scientia sua inflatus, quæ
 A C. 1546. quamvis sat mediocris esset, pro ratione
 Bossuet. hist. tamen illius ævi is credebatur in ea ex-
 var. t. I. l. I. cellens, imo pro propria ejus salute ac
 art. 32. p. 42. Ecclesiæ tranquillitate optandum fuis-
 set, ut minus se sapere putasset; quip-
 pe supra omnes homines non modo, qui
 sua ætate floruerunt, sed etiam supra
 cunctos retroactis temporibus longe ce-
 leberrimos insulse sese extollebat. E-
 quidem opportunus hic foret locus, ut
 Catalogus librorum, quos Lutherus
 circa varia argumenta scripserat, huc
 adduceretur; verum hac de re in ipso
 Historiæ nostræ progressu sæpius men-
 tionem fecimus.

§. LVII.

Congregationes frequenter habitæ.

Pallav. l. c. Interea Tridenti frequentes habebantur
 c. II. n. 1. & c. Patrum confessus, in quorum uno die
 decima octava Februarii celebrato rur-
 sus mentio fiebat de titulo Decretis præ-
 figendo: verum hanc in rem præter ea,
 quæ sæpius jamjam fuerunt recocta, ni-
 hil amplius proferebatur. Hinc Mon-
 tanus Cardinalis Legatus ad alium ar-
 ticulum transiens agebat de supprimen-
 do Decreto, quo sancitum, ut fidei
 dogmata, ac disciplinæ reformatio jun-
 ctim pertractarentur: Igitur hoc de ar-
 gumento ita perorabat: *Nihil detrimenti*
passa

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

passa mihi videtur Synodus, si verbo tacuisset, quod re perfecit: Decretum illud sub ea forma, sub qua vulgandum fuisset, exile ac jejunum semper existimabam, nec honorificum primæ tanti Concilii sanctioni solenni: quidnam enim aliud in eo dicitur, nisi quidquid summatum indictum fuerat per Pontificium Diploma, quo celebrandæ Synodi causæ, nimirum hæresum extirpatio ac disciplinæ restitutio exponuntur? Mihi quidem fuit consilium illam ampliandi, atque in proximo Decreto hosce duos articulos subjungendi, facta tamen denuntiatione Episcopis absentibus, ut eo se conferrent, suamque causam dicerent, aliasque res usui futuras cum majori gravitate disponerent: sed a consilio facile me dimoveri patiar summorum Virorum auctoritate aliter sentientium.

Verum ad hæc Didacus Alaba Asturiensis Episcopus, vir ingenio acer, ac libertatis studiosus Legatum interpellavit, hæcque subjecit: Non decertandi, sed addiscendi studio a te supplex peto, ut exponeres, qua auctoritate habuisses in animo, ut jam dixeras, Decretum consensu Patrum confirmatum immutare? Ego quidem intersui cum potestate judicandi variis Hispaniæ tribunalibus, quibus Cæsaris Consilarii præerant, nec unquam novi ab ullo Præsidentum sibi auctoritatem arrogatam immutandæ universi confessus sanctionis. Tum Le-

Gg 4

ga-

Sæc. XVI. gatus Cardinalis funestum quid ex hac
 A.C. 1546. Episcopi libertate veritus, hunc in mo-
 dum respondit: *Cum tam humaniter id a
 te ex me quærat, libenter tibi facturus sum
 satis: Mihi videlicet fuit in animo id agere,
 quod non solum Legato, sed cuilibet etiam
 Episcoporum liceret; id autem est, antequam
 Decretum promulgaretur, illius mutationem
 proponere, rei arbitrio Patrum suffragiis
 relicto. Quod autem spectat ad auctorita-
 tem, quam ibi Legati, ceterique Præsides
 obtinent, haud mihi ratio suppedit, per
 quam tibi tam cursim satisfacerem, cum ea
 tam late pateat, ut nequiret in pauca redigi.
 Hoc generatim dicere possum; Effatum esse
 apud Canonum Consultos, Legatis a Late-
 re licere, quidquid seu a voce communi, seu
 a peculiaribus Pontificis jussionibus eisdem
 non denegatur. Hæc Pontificii Præsidis
 moderatio cum summo omnium applau-
 su excipiebatur, omnesque ad articulos
 in proxima Sessione pertractandos ani-
 mum applicare cœperunt.*

§. LVIII.

*Quæstiones examinandæ a Legato
 propositæ.*

*Pallav. l. c.
 6. II. n. 4.* Post hæc Legatus præprimis Patribus
 hæc exposuit: *Optimum mihi factu
 videtur, ut Symbolo tanquam primo fidei
 fundamento jamjam stabilito nunc primo
 loco*

loco recenseantur, ac recipiantur libri Cano- Sæcul. XVI.
 nici sacrarum. Literarum, quo certo consta- A.C 1546.
 ret, quibus armis esset in hæreticos dimican-
 dum, & in qua basi fundanda esset Fides
 Catholicorum; quorum aliqui super ea re
 misere angebantur, cum cernerent in eodem
 libro a plurimis S. Spiritus digitum adora-
 ri, alios e contra digitum impostoris exe-
 crari.

Hoc stabilito plures peculiare habebantur Congregationes, in quibus tres postmodum discutiendæ proponebantur quæstiones, & primo quidem quærebatur: *An omnia utriusque Testamenti volumina essent comprobanda.* II. *An ea comprobatio per novum examen peragenda.* III. *Fuit a Bertano ac Seripando propositum, an expediret sacros libros in duas classes partiri: alteram eorum, quæ ad promovendam populi pietatem pertinent, & illius ergo solum ab Ecclesia recepti tanquam boni, cujusmodi videbantur esse Proverbiorum & Sapientie libri, nondum ab Ecclesia probati tanquam Canonici, tametsi frequens eorum mentio haberetur apud S. Hieronymum & Augustinum, aliosque veteres Auctores: alteram eorum, quibus etiam fidei dogmata innituntur. Verum hæc divisio a Patribus non fuit approbata, minus vero a quopiam commendata.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LIX.

*Examen de libris Canonicis sacri
Codici.*

Pallav. n. 5. Igitur primis duntaxat duabus quæstionibus insudatum a Patribus, ac unanimi suffragio decretum, quod præprimis omnes sacræ Paginae libri sint approbandi: qua super re Marcellus Cervinus Legatorum unus in particulari prius, & postea in generali cœtu die vigesima secunda Februarii habito prolixè differuit, hæc exponens: *Aliqui sacrarum literarum libri non ab hæreticis solum, sed ab aliquo Catholicorum in dubium vocantur: incompertum quidem est, unde hæc dubitatio exorta fuerit, sed verisimile videtur, illam haustam ex hæreseos claudis, sedulo studentis tanquam falsa calumniari legitima testimonia, quibus falsitatem suam redargui sentit: ad diserte autem comprobanda ea volumina, quæ Canonica censent, invitantur Patres exemplo, & Canone postremo Apostolorum, ac Trullano Concilio, in quo illorum pleraque recensentur, & Laodiceno eadem plane connumerante, ac tertio Carthaginensi, quod libros Judithæ, Tobie, & Apocalypsis inter divinos agnoscit. Consimilis etiam syllabus fuit confectus a SS. Athanasio & Gregorio Nazianzeno, a quarta Synodo Toletana, ab In-*
no-

nocentio ac Gelasio Romanis Pontificibus, ac Sæcul. XVI. A.C. 1546.
 denique a Concilio Florentino. Hæc sententia communi Patrum consensu fuit approbata, circa librum tamen Baruch levis quædam exorta est contentio, eo quod is in Canone Concilii Carthaginensis non reperiretur(*). Verum ad hæc respondit Cervinus, quod hæc Synodus Prophetam Baruch veluti Jeremiæ Amanuensem censuerit, ac proin eundem sub Prophetæ hujus nomine comprehenderit, præcipue, cum aliunde Ecclesia semper hunc librum tanquam Canonicum receperit, atque in divinis laudibus lectiones in Sabbato sancto, ac Pentecostis vigilia recitari solitas ex illo desumpserit.

§. LX.

Contentio de sacrorum Librorum Canone sine examine approbando.

Gravius dubium movebatur circa *Pallav. l. c.* alterum articulum; quærebant n. 6. enim Patres, utrum sacri libri novo Raynald. hoc ann. n. 18. & seq. examini essent subjiciendi. Montanus & Pachecus Cardinales quamcun-

(*) Postremam hanc rationem a Paulo Suavi fuisse nequiter confictam observat Pallavius loc. cit. lib. 6. cap. 11. n. 14.

Sæc. XVI.

A.C. 1546

cunque novam discussionem recusabant, reliqui vero tres, Cervinus, Polus & Madrutius in discutendis hisce libris, nec non in diluendis adversariorum oppositionibus novam operam esse impendendam contendebant. Ex adverso afferebant primi, quod hæc esset consuetudo ac firmitas Ecclesie, veteres Conciliorum ac Patrum sanctiones in litem minime revocare. Redigebant in memoriam sapientissimum Gelasii ac Leonis summorum Pontificum documentum, dicentium: *Res semel decisas haud retractandas: hinc a Marciano religiosissimo Imperatore per sua edita cautum fuisse ajebant, ne amplius in disputationem adducerentur: satis sunt, addebant, habitæ in eo a prioribus Conciliis disputationes: hæreticorum cavilli abunde refelluntur a Fischero Cardinale, a Cochleo, a Pighio, ab Eckio, & ab aliis præstantissimis Viris. Cuinam usui hoc novum examen? num ut anceps appareret Concilium de auctoritate legitima earum Scripturarum, quæ fundant intentionem Ecclesie in hæreticos, & nostræ fidei prima principia conflant? an ut Lutheranis liceret gloriari, suis argumentationibus suspectas falsitatis reddidisse Catholicis superiorum Conciliorum definitiones? disputatio ad id solum instituitur, ut veritas indagetur: quicumque finis alicujus gratia quidquam adhibet, hic profertur se adhuc sine carere.*

Hi

Hi vero, qui ad novum examen esse ^{Sæcul. XVI.} procedendum cenfebant, hunc in mo- ^{A. C. 1546.} dum perorabant: *Adhibendum est novum examen, non solum, quo veritas comperiat, sed quo etiam confirmetur. Debent Patres non seipsos tantummodo alere cælestis sapientiæ pabulo, sed esse Pastores, quin & Pastorum Pastores: proinde eorum est munus, illos idoneos reddere, exhortari in doctrina sana, eosque, qui contradicunt, arguere. Injunctum est Catholicis a primo Lateranensi Concilio, ut argumenta cuncta dissolvant objecta fidei nostræ mysteriis; cum plane necesse sit, omnem hujusmodi argumentationem, quippe veritati oppositam, quoddam esse sophisma, adeoque dissolubile. Docuit S. Thomas, quemadmodum Theologi non est, Christianæ fidei principia comprobare; ita ipsius sunt partes, eadem adversus omnes oppugnationes tueri. Id a summo illo Doctore perfectum fuit in aurea Summa contra Gentes, eique veterum Patrum exempla præfulsere. Extant disceptationes S. Athanasii cum Ario, S. Hieronymi cum quodam Luciferiano de rebus jam per Concilia confirmatis: disceptationes quidem non vere habitæ, sed confictæ; at ejusmodi, quæ ostendunt, haud disconveniens, nec inutile visum sapientissimis illis Patribus susceptum a se patrociniū causæ Catholicæ, etiam post denuntiatum ab Ecclesia judicium. Testificatur Concilium Africanum, Donatistas*

ad

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *ad disputandum super doctrinis longe prius a Nicæno damnatis fuisse a Catholicis invitatos, & S. Augustinum cum iis disceptationem iniisse. Cum Macario Antiocheno Patriarcha, jam a sexta Synodo proscripto, decertavit Bonifacius jussu Benedicti Romani Pontificis, & S. Dominicus cum Albigensibus hæreticis manifestariis. Post Decreta Nicæna quoties vox operior in controversiam revocata? Ne ab ipso quidem S. Leone, qui prohibuit in disputationem adduci ea, quæ Nicææ & Chalcedone a S. Spiritu stabilita fuerant, ingenii sui opera fuit denegata iis, qui hausto jam simplici definitionum lacte, solidiorem rationum cibum mandere cupiebant. Denique vel sanctissimi Apostoli Christianæ fidei fundatores, & a divino Spiritu plane veritatem edocti, ubi de veteris Legis obligatione decernendum fuit, rem examini subdiderunt. Existimationis plurimum Concilii Decretis accedet, ubi universæ Nationes audierint, hæreticorum rationes ab eo expensas & confutatas. Alioquin eam, quam Patres appellant venerationem antiquitatis, alii vocabunt laboris fastidium, aut responsonis inscitiam.*

Prævaluit posterior hæc Michaelis Cervini sententia in peculiari hac Congregatione, unde in proximo confessu generali nihil hac super re decretum fuit, Patrum animis ibidem tantopere in diversa

versa abeuntibus, ut exorta loquentium Sæcul. XVI.
 confusione Synodi Promotor præcipere A. C. 1546.
 compelleretur, quatenus suo quivis or-
 dine non nisi interrogatus sententiam
 suam ediceret: hinc Patrum suffragia
 duntaxat circa articulum de recipiendis
 sacri Codicis libris colligebantur, qua
 in re unanimis omnium erat consensus:
 discordabant tamen circa anathema,
 quod nonnulli in illos, qui sacros hosce
 libros recipere recusarent, pronuntian-
 dum censebant, ut audacia comprime-
 retur quorundam etiam Catholicorum
 adversantium, inter quos Cajetanus quo-
 que numerabatur. Id quidem pete-
 bant Legati, eisque viginti Præsules ad-
 stipulabantur; oppositam tamen senten-
 tiam quindecim Patres tuebantur, quos
 inter præcipuus erat Tridentinus Car-
 dinalis. Eapropter nihil hac super re
 decisum, sed totum denique negotium
 ad aliam Congregationem fuit remis-
 sum.

§. LXI.

*Varie Congregationes pro Traditio-
 nibus examini subjiciendis.*

A sacris literis Synodi Patres progre- *Pallav. l. c.*
 diebantur ad Traditionem, seu ad *n. 8. & 9.*
 Christi Domini & Apostolorum doctri-
 nam, quæ non quidem in libris Cano-
 nicis scripta continetur, sed tamen non
 in-

Sæcul. XVI. interrupta serie ad nos translata in San-
A.C. 1546 ctorum Patrum voluminibus atque Ec-
 clesię Historiis recensita habetur. Hanc
 in rem frequentes habebantur peculia-
 res confessus, quibus præter duos Præ-
 fules unus Theologus, atque alter sacro-
 rum Canonum peritus intererant, ut De-
 creta pro libris Canonicis & Traditioni-
 nibus condenda perscriberent. Horum
 nomina erant Salvator Alepius Archi-
 episcopus Turritanus, Materanus & Ar-
 machanus itidem Archipræsules, ac de-
 nique Pacensis, Bellocastrensis & Fel-
 triensis, Episcopi. Præprimis ergo illa
 sacri Codicis, Sanctorumque Patrum,
 qui Traditionibus favent, testimonia
 prælegebantur, ubi Claudius Jajus e
 Societate Jesu Augustani Cardinalis
 Procurator peropportune admonuit,
 duo dari Traditionum genera, quorum
 unum ad fidem spectaret, alterum vero
 ad mores ritusque Ecclesię pertineret,
 earumque primas absque ulla exceptio-
 ne recipiendas esse asserebat, ex poste-
 rioribus vero duntaxat illas retinendas
 dicebat, quæ continuata Ecclesię con-
 suetudine forent comprobatæ. Hanc
 doctrinam pariter Cardinalis Cervinus
 auctoritate S. Basilii confirmavit, osten-
 ditque, non nisi eas Traditiones esse am-
 plectendas, quæ ab Apostolis traditæ ad
 nostra usque tempora fuerunt propaga-
 tæ.

tæ. Ceterum ea omnia in generali Sæcul. XVI.
 Conventu die vigesima sexta Februarii A C. 1546.
 celebrato agitabantur, & quamvis om-
 nium Theologorum sententia eo abiret,
 quod Ecclesiæ Doctrina tam sacris Li-
 teris, quam Traditionibus innitatur,
 magna tamen opinionum erat diversi-
 tas circa modum, quo hæc quæstio ef-
 set pertractanda.

§. LXII.

*Sententiarum diversitas circa Tra-
 ditiones.*

Contendebant nonnulli, quod Tradi- *Pallav. n. 9.*
 tiones ab omnibus recipiendæ sigil- *Es seqq.*
 latim recenserentur, alii vero, quos in-
 ter erat Archiepiscopus Turritanus, e
 contrario affirmabant, generatim omnes
 Traditiones esse admittendas, omissa ta-
 men voce: *Apostolicas*: ne rejici vide-
 rentur reliquæ de ritibus ab Apostolis
 ad nos non derivatæ. Verum has po-
 sterioribus nullatenus recipiendas cense-
 bat Clodiensis Antistes, eoquod ferme
 sine numero, ac nimium onerosæ essent.
 Postea Fesulanus & Asturiensis Episco-
 pi querebantur, quod non sine tempo-
 ris dispendio aliis causis incumberetur,
 cum tamen jam convenissent de simul
 discutiendis fidei, ac disciplinæ mate-
 riis. Hac querela commotus Thomas
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Hh Ca-

Sæcul. XVI. Caselius Dominicanus Britonoræ in
A.C. 1546. Romandiola Flaminia Episcopus inquit
 „Mirum mihi videtur, quod unus aut
 „alter Præsul universæ Synodo semper
 „adversandi jus sibi arroget, cum tamen
 „unanimi omnium consensu decretum
 „sit, quod prius de sacris libris, & tradi-
 „tionibus, ac demum de abusibus utrin-
 „que exortis agendum foret: „ quin
 imo Cardinalis Polus, tametsi singula-
 ris esset modestiæ, sibi haud tempera-
 re potuit, quin converso ad ambos hos-
 ce Præsules sermone, suam eisdem
 contradicendi libidinem exprobraret.

§. LXIII.

*Vincentii Lunelli Franciscani sen-
 tentia de Traditionibus.*

*Fra Paolo
 Sarpi hist.
 du Conc. de
 Trent. l. 3.
 p. 188.
 Dupin. Bibl.
 des Aut. Ec-
 cles. tom. 14
 in 4. p. 11.
 & 12.*

Verum idem Cardinalis adhuc magis
 luculentum zeli sui specimen edi-
 dit, cum Vincentius Lunellus ex Ordi-
 ne S. Francisci, & Antonius Marinarus
 Carmelita binas opiniones contra Tra-
 ditiones proposuerant. Horum pri-
 mus in ea erat sententia: *Cum in sacris
 Literis & Traditionibus fidei fundamenta
 sint jacienda, de Ecclesia tanquam firmamen-
 to nobiliore prius est agendum: tum quod
 Scripturæ auctoritas inde pendeat juxta ce-
 lebre illud Augustini dictum, Evangelio
 non crederem, nisi me Ecclesiæ commo-
 veret*

veret auctoritas; tum quod Traditionum Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
nullus esset usus, nisi eadem Ecclesie aucto-
ritate niterentur: controversia enim nascenti-
te, an aliquid Traditione valeat, ea quaestio
Ecclesie vel testimonio vel definitione necessa-
rio decidenda est: posito autem semel hoc fun-
damento, quod Christiani omnes Ecclesie cre-
dere teneantur, huic sine periculo potest in-
discuti, porro in hoc certamine eorum ca-
stra praesertim sequenda, qui in hostilem a-
ciem validissimam fecerunt impressionem, ut-
pote Silvestri Prieria & Eckii, quibus telum
acerrimum, auctoritas Ecclesie, absque quo
debellandis Lutheranis nullum est satis exitia-
bile: nam res est ab instituto alienissima, in-
jaciendis Doctrinae Christianae fundamentis
illud ommittere, quod praecipuum est, aut
prope unicum, certe ejusmodi, sine quo ce-
tera non subsistunt.

Verum haec Lunelli opinio eo ex ca-
pitate rejiciebatur, quod tunc, si de Eccle-
siae auctoritate ageretur, indicari videre-
tur, perinde ac si de ea foret dubita-
tum, aut haec saltem nova luce primum
nuper fuisset illustrata, cum tamen, ex
quo inter Christianos fuit Ecclesia, sem-
per antiquissima fuerit credita.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. LXIV.

Alia opinio Antonii Marinari de eodem articulo.

Aliam adhuc sententiam proposuit Antonius Marinarius, ita differens: *A Traditionum mentione omnino abstinendum censeo, atque in hac materia ad decisionem primi articuli prius constituendum, utrum quæstio facti sit, an juris, id est, utrum Doctrina Christiana duabus constet partibus, una, quæ divina voluntate fuit scripta, altera, quæ eadem voluntate vetita est scribi, viva tantum voce docenda: an vero universo doctrinæ corpori per accidens evenerit, ut quæ tota fuerit publicitus prædicata, ejusdem aliqua pars scripto consignata non fuerit: Est enim exploratissimum, Majestatem divinam, cum veteris Testamenti legem promulgaret, existimasse necessarium, eam scripto tradi, eoque suo digito Decalogum tabulis lapideis inscripsisse, atque jussisse, ut in scrinium ex fœdere reponerentur, quod inde dictum Arca Fœderis. Præcepit etiam Moyse non semel, ut in libro mandata scriberet, eorumque exemplar juxta scrinium asservaretur, ac Regi unum daretur, quod assidue evolveret. At in Lege Evangelica non idem obtinuit, quam Dei Filius cordibus inscripsit, ut ad eam neque tabulis, neque arca, nec libro opus sit, imo Ecclesia fuit*

fuit perfectissima, priusquam SS. Aposto-
 lorum ullus scripsisset, neque Ecclesia Chri-
 sti perfectione ulla caruisset, etiamsi nihil
 unquam scripto fuisset mandatum. Verum
 etsi Christus novi Testamenti Doctrinam cor-
 dibus insculpserit, non vetuit tamen, ne scri-
 pto traderetur. Quod autem in falsis qui-
 busdam Religionibus sancitum est, quarum
 mysteria neque propalare, neque scriptis pro-
 dere fas, sed voce tantum tradere, itaque
 certissimum est id, quod Apostoli scripse-
 runt, & ore tenus edixerunt, pari esse au-
 thoritate, quorum utrumque ejusdem Spiri-
 tus sancti instinctu fit. Is vero Spiritus,
 qui Apostolis adfuit, quique eos in scribenda
 & prædicanda veritate direxit, non potest
 dici, vetuisse eos, ne scriberent, ut doctri-
 nam tanquam mysteriosam legerent: Unde
 duo genera articulorum fidei non sunt distin-
 guenda, quorum alii scripto evulgari, alii
 sola voce communicari jussi sumus. Adde-
 bat insuper, si quis contrariam opinionem
 tueretur, duas ei maximas difficultates su-
 perandas: unam in differentia inter verbum
 scriptum, & non scriptum explicanda; al-
 teram in declarando, quomodo Apostolorum
 Successores illud scripto mandarint, quod a
 Deo scribi vetitum fuerit. Deinde non mi-
 nus arduum erit atque difficile, alteram opi-
 nionem tueri, scilicet per accidens factum ef-
 se, ut quædam singularia scripto non sint
 commissa: quandoquidem illud valde deroga-
 tu-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæcul. XVI. *turum sit providentiæ divinæ, in Apostoli*
 A.C 1546. *ad Evangelii doctrinam componendam diri-*
gendis. Concludebat itaque hunc in
modum: Magis periculosum est materiam
hanc pertractare, quam inter Scyllam &
Charybdim navigare, longeque satius est imi-
tari Patres, qui hunc locum tanquam scopu-
lum semper prætervecti, eum nunquam atti-
gerunt, nisi premente necessitate, sic tamen,
ut inter Traditiones, & Verbum Dei scri-
ptum articulum comparationis nunquam for-
marint. Neque ad eam quæstionem in præ-
sens determinandam ulla adducitur necessitas,
quando Lutherani, utcunque alio se quam Scri-
ptura judice convincendos negent, formalem
tamen de hoc articulo controversiam nullam
instituerint.

§. LXV.

Hæc sententia a Cardinale Polo
vehementer impugnata.

Verum hæc opinio nemini probabatur,
præcipue vero Cardinalis Polus ad-
versus eam vehementius insurgens hæc
effatus est: Hæc sententia dignior esset Col-
loquio Germaniæ, quam Ecclesiæ Concilio
universali: hic enim sincera veritas solum
contemplanda est: illic rerum Conciliatio po-
tissimum spectatur, cum veritatis etiam præ-
judicio: ad Ecclesiam autem conservandam
omnino est necessarium, ut Lutherani aut u-
niversam Ecclesiæ Romanæ Doctrinam ad-
mit-

mittant; aut eorum errores quam plurimi detegantur, quo magis perspicuum omnibus evadat, omnem concordiam cum ipsis spem esse deploratam: quam ob rem si nullam ipsi super Traditionibus controversiam instituerint, ea nunc est formanda, atque cum eorum opiniones sint damnandæ, tum declarandum, doctrinam eam non solum abesse a veritate, ubi ex professo ei contradicit, sed in omnibus aliis quoque suis membris ac partibus, adeoque incumbendum damnandis omnibus, quæ ex eorum scriptis elici possunt, ineptiis ac erroribus. Vanus porro est metus incidendi in Scyllam aut Charybdim, ex captiosa illa ratione allata, quam qui attendit, nullam prorsus esse Traditionem facile inde evicerit (*).

Sæcul XVI.
A. C. 1546.

Hh 4

His

(*) Rursus totam hujus historiæ seriem de utroque hoc Religioso a nequissimo Paulo Sarpio, ex quo eam Dupinus descripsit, mere fuisse confictam, observat Pallavicinus, qui postquam l. 6. c. II. n. 14. eundem Sarpium de alio mendacio redarguit, hæc subjunxit: *Ex his mendaciis, quorum hic aperte convincitur, merito mihi licet conjicere, æque plane commentitia esse, quæ ille de multorum sententiis colorat, præsertim vero Lunelli Franciscanorum Præsidis, ac Marinari Carmelitarum: quarum rerum & in Actis & in literis Legatorum ad Farnesium Car-*
di.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

His ita agitatis Clodiensis Episcopus demonstrare conabatur, quod ex Florentina Synodo sacrae Paginae Canon ejusque auctoritas haud comprobari valeat, cum illius Decretum Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragésimo quarto die quarta Februarii fuisset editum, eadem vero Synodus jamjam Anno salutis millesimo quadringentesimo trigesimo nono finem habuerit. Verum mox ostendit primus Legatus, quod sua hunc Episcopum opinio falleret, eoquod Latina quidem Abrahami Cretenfis versio post septimam Sessionem Anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo nono desineret, cum præfatus Auctor Synodi acta duntaxat usque ad Græcorum discessum perduxisset, interim vero Concilium adhuc solidos ferme tres annos tenuisset tum Florentiæ, tum Romæ, ad quam urbem Constitutione die vigesima sexta Aprilis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragésimo secundo edita fuit translatum.

§. LXVI.

dinalem, & in aliis cœnoscis monumentis, quæ apud me sunt, ne vestigium quidem comperio, prout absque dubio comperissem.

§. LXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

*Aliqui ad examinandos sacrae Pa-
ginae textus subinde corruptos
deputati.*

Interea sex illi Patres Decretum, quod *Pallav. c. 12. n. 2. & seq.*
circa sacros divini Codicis libros ac
Traditiones conficere jubebantur, ad
Synodum deferebant, communi om-
nium consensu approbatum. Verum
rursum agitabatur quæstio de Decreti ti-
tulo; nonnulli enim Præsules, atque
inter eos Fesulanus, hæc verba: *Uni-
versalem Ecclesiam repræsentans*: addi pe-
tebant: obstitit tamen Cervinus, mox-
que litigantes composuit, cui etiam A-
quensis Archiepiscopus suffragatus est.
Postmodum Legatis præsentibus in
quodam congressu die vigesima quarta
Februarii celebrato agebatur de sacrae
Scripturae depravationibus, ad quas ri-
te detegendas seligebantur Aquensis
Archipræsul ac Marcus Vergerus Seno-
galliensis Episcopus, quibus adjunge-
bantur Episcopi Cavenensis, Castelloma-
rinus, Fanensis, Bituntinus & Astu-
riensis, præter Seripandum supremum
Augustinianorum Præfectum, duos
Franciscanos Alphonsum de Castro, &
Richardum Cenomanensem, nec non
Ambrosium Catharinum ex Ordine Fra-

Hh 5 trum

Alter fuit mendorum copia, quæ Biblia Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
tam Latina, quam Græca & Hebraica con-
taminaverant. His non aliter dicebatur
prospici posse, quam si Pontifex ea denuo
diligenter correctâ typis edenda curaret, eo-
rumque exemplar singulis Episcoporum Se-
dibus traderet.

Tertio loco observarunt, suo quemque
arbitratu divinas Literas detorquere. Ad
hanc licentiam coercendam leges propositæ,
quibus cavebatur, ne Scriptura declarare-
tur, nisi ex antiqua Ecclesiæ ac Patrum
sententia, & ne hujusmodi opera vulgaren-
tur absque Ecclesiasticorum Censorum per-
missu.

Postremus erat Typographorum vitium,
qui sacra volumina imprimebant desumpta
ex corruptis exemplaribus, simulque pravas
interpretationes adjiciebant. Huic vitio
prospectum putarunt, si illis gravi multa
pecuniaria, aliisque ex arbitrio pœnis inter-
diceretur hujusmodi librorum impressio, nisi
obtentâ ab Ordinariis facultate, auctorum-
que nomine libris apposito.

Hujusce generis multam improbarunt
Episcopus Asturiensis, & Archiepiscopus
Panormitanus, causati, Ecclesiæ non licere
Laicis pecuniæ multam irrogare.

Unde haud operosius hæc causa ur-
gebatur.

Sæc. XVI.
A.C. 1546

§. LXVIII.

*Cardinalis Pachceus contra sacræ
Paginæ versiones declamans.*

Pallav. c. 12. *n. 5.* **H**is tamen addidit Cardinalis Pachceus, quod haud immerito inter abusus sacris Literis pariter noxios recensenda veniat illa consuetudo, qua sacer Codex in patrium idioma versus passim ignaræ plebi permittitur. Huic Cardinalis Madrutius reposuit, Germanos ex solo hoc rumore fuisse offensos, cum percepissent, quod Synodi Patres populum vellent privare sacris Oraculis, quæ tamen ex Apostoli suafu nunquam a fidelium corde recedere deberent: cum vero Pachceus objiceret, quod id ipsum etiam Paulo II. comprobante in Hispaniis fuerit interdictum, mox Madrutius sic respondit: Paulus II. æque ac quicumque alius Pontifex in ejusmodi legibus falli potuit, non vero Paulus Apostolus fuit deceptus. Tandem nulla re decreta solutus est confessus, non sine plurium, ac præcipue illorum indignatione, qui promiscuas sacræ Scripturæ versiones reprobabant; censebant enim illi, quod in ea temporis vicissitudine, ubi hæretici suos errores patrio sermone passim evulgant, ejusmodi falsis dogmatibus antidotum op-
po-

ponere, ac Christiano populo tradere ^{Sæcul. XVI.}
 consultum foret, dummodo id non sine ^{A.C. 1546.}
 debita circumspectione fieret.

§. LXIX. 1

*Contentio de auctoritate sacri Textus,
 nec non de versionibus
 S. Scripturæ.*

In sequenti Congregatione agitabatur quæstio, an pro sana sacri Codicis intelligentia ad primævum, seu ut vocant, *originarium* textum esset recurrendum? inde vero captata occasione acrior, quam unquam, exorta est disceptatio inter quosdam Doctores, quorum quidam varii idiomatis peritia erant insignes, alii vero nulla linguarum scientia imbuti. Porro Aloysius Cataneus circa hanc controversiam his verbis sententiam suam proposuit: *Ad hujus articuli determinationem nihil afferri potest magis appositum, aut horum temporum occasionibus magis accommodatum, quam judicium Cardinalis Cajetani, in Theologia celebratissimi, qui a pueritia huic studio deditus, mira ingenii felicitate, & labore indefesso inter sui sæculi, & superiorum aliquot sæculorum Theologos merito primas obtinet, cui in doctrina cedere, & a quo edoceri, neminem eorum, qui adsunt, Præsum, aliorumve Doctorum pudere debet.*

Car-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *Cardinalis hic, cum anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio Legatus in Germaniam proficisceretur, sedulo pervolvabat, qua ratione, qui ab Ecclesiæ tramite exorbitassent, possent in viam revocari, aut hæresiarchæ errorum convinci; huic malo unicum reperiebat remedium in pervestiganda intelligentia contextus ad literam sacre Scripturæ in ea lingua, qua primum fuit conscripta, eaque de causa reliquum vitæ suæ tempus, nempe totos undecim annos, uni sacre Scripturæ studio impendit, non Latina versione, sed ipsis fontibus, in veteri Testamento, textu Hebræo; in novo Testamento, Græco, diligentia sua expositis, & illustratis, & quoniam nullam ipse earum linguarum cognitionem haberet, in utraque lingua peritorum operam adhibuit, qui textum Scripturæ verbum e verbo redderent, ut ex ipsius operibus in sacros libros scriptis apparet. Bonus ille Cardinalis dicere solitus, intelligere textum Latinum, non esse intelligere Verbum Dei, quod errare non potest, sed vocem interpretis erroribus obnoxiam, hinc ab Hieronymo verissime dictum fuit, Donum prophetandi, & libros sacrosanctos conscribendi proficisci a Spiritu sancto, sed eosdem libros in aliam linguam transferre esse humanæ peritiæ opus: queribundusque vovebat ex animo, ut superiorum Sæculorum Doctores eam rationem tenuissent:*

sent: tum enim hæreses Lutheranas locum non fuisse habituras. His addidit Cata-
neus, nullam translationem posse probari nisi repudiato Canone, ut veterum dist. IX. qui censet, veteris Testamenti fidem de Hebræis voluminibus examinandam: novi vero, normam Græci sermonis desiderare. Qui unicam interpretationem pro authentica agnoscit, ei D. Hieronymus, alii- que omnes interpretes damnandi videntur. Ea enim semel agnita, nullus est aliarum, quæ non sunt authenticæ, usus, frustra- que incerta atque infirma proferuntur debellandis hostibus, ubi firma habentur, quæque cer- tam spondent victoriam. Illud cum D. Hieronymo & Cajetano pro comperto tenendum censeo, nullum esse interpretem, qui non possit errare, quantumcunque adhibeat industriam, ne ab originali defleat: neque minus certum, si sancta Synodus unam aliquam interpretationem ad genuinum contextum examinare & emendare contendat, Spiritum illum sanctum, qui in rebus fidei Synodis præsidere solet, Patribus Concilii in eo opere sic adfuturum, ut ab errore non sit metuendum, atque ejusmodi versionem sic examinatam ac probatam, pro authentica meritissimo habendam. Ego vero non ea sum confidentia, ut absque istiusmodi examine versionem audeam approbare, aut Spiritus sancti præsidium mihi polliceri, nisi sancta Synodus ita
sta-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæc. XVI. A.C. 1546. *statuat, maxime quod in Apostolorum Concilio sedulam disquisitionem præcessisse observem. Verum cum hoc opus, hic labor, annorum decades requirat, neque temere suscipiendus sit, mihi quidem consultissimum videtur, res eo, quo mille ac quingentis annis fuerunt, statu relinquere.*

§. LXX.

Pro Vulgata editione plurium Theologorum sententia.

*Pallav. l. 6.
c. 15. n. 2.*

Verum pauci admodum Catanei sententiæ adstipulabantur, communis autem aliorum erat opinio, vulgatam editionem ceteris omnibus esse præferendam, quam in rem ita perorabant: Ea versio, quæ retroactis temporibus in Ecclesiis lætitata, & in Scholis recepta fuit, pro divina, authenticaque in omnibus suis partibus necessario habenda: alioqui victas manus Lutheranis dabimus, atque infinitis hæresibus, perpetuisque per Orbem Christianum tumultibus januam aperimus: Doctrina enim S. Matris Ecclesiæ Romanæ, aliarum omnium Magistræ, a Pontificibus Romanis & scholasticis Theologis, in aliquo sacre Scripturæ loco, magna sui parte est fundata: potestate vero unicuique facta in loci ejus versionem inquirendi, utrum fidelis sit, nec ne, vel cum aliis interpretibus eam comparando, vel contextu Hebræo, & Græco consultis,
tum

tum novi ejusmodi Grammaticastri omnia Sæcul. XVI.
 interturbabunt, sibi solis judicium & arbi- A.C. 1546.
 trium in rebus fidei arrogaturi: denique in
 vicem Doctorum Theologiæ & Canonici Ju-
 ris, ad dignitates Episcoporum, & purpu-
 ratorum Patrum, præ aliis omnibus, lite-
 ratores hi assumentur. Præterea non est,
 quod inquisitores in Lutheranorum pravita-
 tem ultra inquirent, nisi Hebraice & Græ-
 ce calleant: rei enim protinus respondebunt,
 in contextu non ita se habere, aut versionem
 parum esse fidelem, ita, dum Grammatista
 quilibet novitates suas, cerebrique deliria,
 vel malitiose, vel propter Theologiæ igno-
 rationem pro fidei dogmatibus venditat, ea-
 que dummodo linguarum vel apice uno gram-
 matico confirmantur, perbene fundata putat,
 nullus controvertendi finis erit, neque nunc
 obscurum cuiquam est, ex quo Lutherus Bi-
 blicia transferre cœpit, quam multiplices ac
 pugnantes versiones prodierint, ad perpetuas
 tenebras merito suo damnandæ, quam sæpe
 ille idem Martinus translationes suas immu-
 taverit, ut nulla Bibliorum versio denuo ex-
 cusa sit, sine insigni aliqua mutatione, non
 unius alteriusve, sed centum simul locorum,
 quæ quidem licentia, si omnibus permittetur,
 eveniet, ut Christiani, quid credendum sit,
 non intelligant.

His rationibus non sine applausu
 exceptis hæc nonnulli subjungebant:
 Si quis divini Spiritus instinctum non nisi
 Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. li gra-

Sæcul. XVI. *gravate interpreti concedat, Concilio tamen*
 A.C. 1546. *idem neutiquam denegandum est; adeoque*
post vulgatam editionem approbatam, & a
nathema contra eos intentatum, qui eam pro
authentica minime habent, hæc eadem editio
errorum omnium expers censenda erit, non ut
spiritus illius, qui versionem conscripsit, sed
virtute spiritus Synodi, quæ pro authenti-
ca eam approbavit.

§. LXXI.

Isidori Clarii opinio de sacrae Scri-
pturae textu.

Verum postremam hanc rationem Ili-
 dorus Clarius Brixiae in Longobar-
 dia natus, Vir ex Ordine S. Benedicti
 doctrina clarissimus his verbis impugna-
 bat: *In Ecclesia primitiva permulta fue-*
runt Graecæ veteris Testamenti translatio-
nes, quas distinctas in sex columnas, Ori-
genes collegit in unum volumen: harum præ-
cipua vocatur septuaginta, ex qua varia
in linguam Latinam versiones petita, quem-
admodum e Graecis novi Testamenti libris
variae etiam desumptæ, inter quas ea, quæ vo-
catur Itala, maxime est recepta, in Eccle-
sia legi solita, & a D. Augustino præ cete-
ris omnibus approbata: sic tamen, ut pro-
cul dubio contextus Graeci sint præferendi:
Hieronymus vero linguarum, uti omnibus
compertum est, callentissimus, cum observa-
ret,

ret, veteris Testamenti versionem a veritate Sæcul. XVI.
 Hebraica deflectere, partim interpretis Græ- A.C. 1546.
 ci, partim Latini vitio, unam e lingua He-
 braica immediate petitam edidit, Et alteram
 novi Testamenti versionem ad veritatem Græ-
 ci contextus emendavit. Ea translatio pro-
 pter nominis celebritatem, qua tum temporis
 erat Hieronymus, a permultis fuit accepta,
 ab aliis vero errorum antiquitatis tenaciori-
 bus, Et a novitate magis alienis, aut (ut
 ille dolens questus est) gloriæ suce æmulis,
 rejecta ac repudiata: Verum victa post ali-
 quot annos invidia, illa Hieronymi versio a
 Latinis omnibus accepta fuit, sic ut utraque
 in usu esset, vetus & nova vulgo nuncu-
 patæ. Testatur id D. Gregorius, scribens
 ad Leandrum in Jobi historiam, Sedem A-
 postolicam utramque recepisse: se vero in il-
 lius libri expositione novam, quod ad He-
 braicum contextum proxime accederet, sibi
 sequendam delegisse: in citationibus autem lo-
 corum interdum hanc, interdum aliam ver-
 sionem adferre, prout ad propositum suum
 alterutra maxime faciat. Secutis tempori-
 bus e duabus his unam factam, partim no-
 vam, partim veterem, pro occasionum va-
 rietate; cui nomen inditum Editionis vul-
 gatæ. Psalmos omnes dicebat esse veteris
 versionis, quod, cum in Templis quotidie
 decantarentur, mutari non possent. Pro-
 phetas omnes minores, novæ: majores, ex
 utraque permistos. Esse certissimum, divina

Sæcul. XVI hæc omnia voluntate ac destinatione acci-
 dere, sine qua nihil succedat, neque tamen
 A C. 1546 ideo dicendum, humana majorem hic inter-
venire, Divus enim Hieronymus palam pro-
fitetur, nullum interpretem Spiritu sancto af-
flante locutum: cum autem editio, quam præ-
manibus habemus, magna parte illius sit, ni-
mium esset, divini Spiritus adminiculum ei
tribuere, qui affirmet & cognoscat, eundem
sibi deesse: ideo nullam translationem, cum
sacro contextu lingua originali æquiparan-
dam. Quam ob rem in hac sum opinionem,
editionem vulgatam aliis omnibus anteponen-
dam, approbandamque, modo ad textum
originarium corrigatur: ea vero emendata,
ut & aliæ omnes extinguantur, & ne quis
aliam in posterum edat, severo edito pro-
hibendum. Sic omnia incommoda ex novis
interpretationibus profecta, quæ acri judi-
cio Viri in Congregationibus observarunt &
reprehenderunt, brevi tempore destituro
spero.

§. LXXII.

*Sententia Andreæ Vegii a Patribus
 adoptata.*

Duas inter hasce opiniones mediam
 proponebat Andreas Vegius natio-
 ne Hispanus ex Ordine S. Francisci,
 hancque in rem ita effatus est: *Haud
 diffiteor, quod juxta S. Hieronymum dos
 interpretis non sit Spiritus Prophetiæ, aut
 aliud*

aliud donum speciale divinum, quod efficiat, Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 ut ille errare non possit in interpretando: ~~interpres~~
 commendo etiam ejusdem Hieronymi, & si-
 mul Augustini opinionem, de translationibus
 ad contextus in lingua originali emendandis,
 sed cum his omnibus non pugnat, quod dicitur,
 Ecclesiam habere editionem Latinam
 vulgatam pro authentica. Id enim
 hoc sensu accipiendum, in ea versione nullum
 esse errorem fidei aut morum; non autem in-
 telligendum de singulis apicibus, & propriis
 verborum enuntiationibus: cum fieri non pos-
 sit, ut omnes unius linguae voces migrent in
 aliam absque significati tum restrictione, tum
 extensione, & sine metaphora, aliisque figu-
 ris. Editio certe vulgata spatio mille an-
 norum, ac supra, ab universa Ecclesia fuit
 examinata: eo tempore compertum, nullum
 inibi aut in fide, aut moribus esse errorem:
 hoc loco & numero in priscis illis Conciliis
 habita & recepta est; eodem pretio hoc sæ-
 culo habenda, approbandaque. Potest qui-
 dem illa dici, declararique authentica hac
 mente, ut cuius fas sit eam legere sine pe-
 riculo; non ut diligentiores quique per eam
 vetentur e fontibus Hebraicis & Græcis si-
 tim suam explere, sed ut tot integræ trans-
 lationes, quæ confusionem in Ecclesia pa-
 riunt, arceantur.

Placuit ceteris Patribus Andreæ sen-
 tentia; quocirca Præsules in confes-
 su die vigesima septima Martii habito de-

Sæcul. XVI.
A.C. 1546
creverunt, quod Vulgata tanquam authentica sit declaranda, ut hoc pacto tam in sacræ Scripturæ lectionibus, quam citationibus ubique certa & æqualis habeatur regula.

§. LXXIII.

Examen articuli de sacri Codicis sensu, & interpretationibus.

His ita stabilitis Patres ad articulum de sensibus, ac sacræ Scripturæ interpretationibus processerunt, qua de re itidem varia erat plurium sententia: in eo quidem conspirabant omnes, quod promiscua sacros libros interpretandi licentia posterioribus hisce annis usurpata hæresin in Germania procreaverit, an autem illa sit damnanda, diversi sentiebant: *Nonnullis enim spiritualis tyrannidis speciem præferre videbatur, si interdiceretur fidelibus, ne ingenii sui vires exerceant pro modulo donorum, quæ Deus illis elargitus est: neque id aliud esse ajebant, quam vitare, ne talentum a Deo concessum in mercimonium spirituale, uti decebat, erogetur: econtra censebant, homines ad sacrarum literarum lectionem quibusvis illecebris prolectandos; his vero, qui voluntatem eam aufert, quam novitas asserre solet, eum illas omnibus odiosas & invisas redditurum, eamque coactionem in angustias facile studiosos*

fos invitaturam, ad animum aliis scientia-
 rum generibus applicandum, & a sacris li-
 teris avertendum, adeoque ad omnem pieta-
 tis curam, studiumque abjiciendum. Dein
 istam spiritualium donorum varietatem ad
 Ecclesiae perfectionem pertinere dicebant,
 imo legendis veterum Patrum scriptis non
 modo magnam opinionum diversitatem, ve-
 rum contrarietatem quoque conspici, sed
 quae cum arctissima charitate sit conjuncta.
 Cur autem huic Saeculo non eadem libertas
 permittatur, quam superioribus Saeculis
 homines magno spiritualis boni proventu re-
 tinuerunt.

Alii econtra sic contendebant: Li-
 centia popularis majorem in Ecclesiam per-
 turbationem invehit, quam ipsa tyrannis,
 ideoque his praesertim temporibus effrenata
 hominum ingenia cohibenda sunt, alioqui nul-
 lus foret contentionum finis. Priscis qui-
 dem Saeculis permissum fuit, in sacrae Scri-
 pturae libros commentarios scribere, necessi-
 tate id postulante, quod paucae essent expo-
 sitiones Bibliorum, & nullo, sicuti hoc Saeculo,
 impendente turbarum metu ab homini-
 bus, vitae sanctimonia, ingenique modera-
 tione spectatis: Scholastici igitur Theologi,
 cum viderent, nullam esse in Ecclesiasticarum
 interpretationum necessitatem, & Scriptu-
 ram non modo sufficienter, sed etiam copio-
 se explicatam, aliam rerum sacrarum tra-
 ctandarum rationem inierunt. Cumque vi-

Sæc. XVI.

A.C. 1546

derent homines ad disputandum suoque ingenio proclives, satius duxerunt, distingere eos potius excutiendis Aristotelis essatis, & rationibus, atque interim verbo Dei cultum & reverentiam debitam conservare; cui plurimum decedat, necesse est, quando illotis vulgi manibus tractatur, aut curiosis, tanquam materia exercitandis ipsorum ingeniis, propinatur.

§. LXXIV.

Richardi Cenomanensis, ac Dominici Soto sententia.

Posterior hæc sententia eo usque urgebatur, ut Richardus Cenomanensis ex Ordine S. Francisci afferere haud dubitaret, quod fidei dogmata Scholasticorum opera nunc adeo sint enucleata, ut in posterum ex Scriptura ea addiscere nihil sit opus. Ea olim in Ecclesia legi, & in Scholis addisci solitum fuit ad populum institutum: nunc vero in Ecclesia legitur, ut orare doceat solum, qui unicus debet esse illius usus: non autem, ut addiscatur, atque hic est cultus ac veneratio a singulis Verbo Dei debita: illud vero omnino prohibendum est, ne quis discendi studio Scripturam legat, nisi qui in Theologicæ scholasticæ doctrina prius sit institutus, apud eos enim, qui in sacris literis versantur, Lutherani maximos faciunt progressus.

His

His ita prolatis Dominicus Soto Do-
 minicanus fidei ac morum materias ab
 aliis distinguens ita effatus est: *Circa fi-*
dem ac mores æquum omnino est, ut omnium
ingenia inter limites jam positos continean-
tur, in aliis vero nihil est incommodi, cui-
que permittere, ut salva pietate, charitate-
que in suo abundet sensu. Non fuit Patrum
mens, ipsorum imitandorum necessitates aliis
imponere, nisi in iis, quæ necessario creden-
da, agendaque sunt, neque decretum Ponti-
ficebus Romanis, quoties in Decretalibus suis
aliquem Scripturæ locum in unum sensum
interpretantur, eum in Canonem ita referre,
ut fas non sit, ea verba in alium sensum ac-
cipere, etiamsi ratio id suadeat. Ea quo-
que mente fuit D. Paulus, cum dixit: uten-
dum Prophetia, hoc est, Scripturæ inter-
pretatione, secundum rationem fidei, id est,
facta interpretationis ad articulos fidei rela-
tione, absque qua distinctione fuisset in gra-
via incommoda itum propter contrarietates,
quæ in diversis expositionibus veterum Pa-
trum reperiuntur, quarum una alteri refra-
gatur.

§. LXXV.

Synodi Patrum definitio circa sacras
Literas & Traditiones.

Omnes hæ rationes in generali cœtu *Pallav. c. 15.*
 die prima Aprilis celebrato propo-^{n.} 3. & 4.
 nebantur, ibidemque agebatur de poenis,

li 5

quæ

Sæc. XVI quæ omnibus sacras Literas aliter, ac
 A.C 1546. Ecclesia, Sanctique Patres sentirent, in-
 terpretantibus irrogarentur. Ast Clo-
 diensis Episcopus hanc in rem pruden-
 ter admonuit, *id non de quacunque diver-
 sitate intelligendum, sed de ea, quæ illis re-
 pugnaret, cum alioqui liceat e. quovis Scri-
 pturæ loco novam sententiam elicere, ubi lo-
 cus ille nec ab Ecclesiæ auctoritate, nec a
 Patrum concordi consensione certam jam in-
 terpretationem obtinuit.*

Huic autem incommodo ut prospice-
 retur, Giennensis Episcopus ita pronun-
 tiabat: *Sacrarum Literarum interpreta-
 tio interdicenda est omnibus illis, qui Do-
 doctoratus, aut Baccalaurei honore in quadam
 Universitate non fuerunt insigniti.* Hic
 idem Præsul postea in hac sententia ad
 effectum deducenda studiosum constan-
 temque se gessit, nec minori quoque ani-
 mi constantia sese opposuit Tridentino
 Cardinali, qui eidem adversabatur, pa-
 lamque propugnabat, quod sacras Pa-
 ginas interpretandi libertas omnibus
 pietate ac eruditione conspicuis passim
 esset concedenda, ea tamen lege, ut ho-
 rum elucubrations, priusquam typis
 ederentur, Censuræ approbatione ef-
 fent munitæ. Posterior hæc sententia
 prævaluit, magisque accepta fuit Le-
 gatis, ægre ferentibus, a Pacheco Car-
 dinale antea fuisse propositum, quod *sa-
 cre*

cræ Literæ a tot tamque præclaris eruditione & probitate Viris explicatæ fuerint, ut nihil addi possit, aliunde vero hæreses omnes inde fuerint natæ, quod sacris Paginis novi sensus affingantur. His peractis proponebatur quæstio, an etiam sacri Canones anathematis poena in transgressores intentata conderentur, anve tanquam hæreticus sit condemnandus, qui vulgatam editionem recipere renueret? Tandem duo Decreta esse condenda decisum fuit, in quorum primo ea comprehenderentur, quæ librorum sacrorum Canonem, ac Traditiones concernunt, ac propterea illud anathemate confirmaretur: in altero autem ea, quæ Traditiones, & Scripturæ sensum spectant, continerentur, ita, ut primum tanquam ad fidem, atque alterum ad reformationem pertinere censeretur, hocque pacto illis satisfaceret, qui utrumque argumentum conjungi postulabant.

§. LXXVI.

Franciscus Toletanus Cæsaris Legatus Tridentum veniens.

Cum interea omnes hæ quæstiones tam in privatis, quam publicis congressibus agitentur, Franciscus Toletanus Cæsaris Legatus die decima quinta Martii Tridentum venerat, eique uno

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

*Pallav. l. 6.
c. 13. n. 1.
& 2.
Raynald. hoc
anno n. 44.*

ab

Sæcul XVI
A.C.1546.

ab urbe lapide obviam processerant Episcoporum non pauci. Habebat Legatus in mandatis, ut vel solus ipse Legationem obiret, vel Mendozæ comes esset, si is pristinæ sanitati restitutus Synodo interesse valeret: cum igitur quadriduo Tridenti commoratus esset, Patavium contendit Mendozam ibi decumbentem invisurus. Hic Francisco exposebat, quod non sine animi moerore focium sibi fuisse suffectum perciperet, quem quidem a Cæsare postulasset, se tamen repulsam laturum perperam sperasset: cum vero omnino necessitas suaderet, ut novus hic Legatus arcanam Cæsareæ mentis notitiam Mendozæ concreditam edoceretur, ideo ad hanc obsequii demissionem se flectere passus est, impulsus Tridentini Cardinalis consilio, quamvis id dissuaderet Pachecus, qui officiosam ejusmodi salutationem tanquam rem nimis abjectam, ac Toletanæ familiæ nobilitati præjudiciosam carpebat, ast id hic Cardinalis faciebat ex eo, quod ipse vel cum Mendoza exiguam admodum foveret amicitiam, vel summo opere peteret, ut a se solo tanquam Viro unice mentis Cæsareæ conscio Toletanus arcanam rerum cognitionem haurire compelleretur. Porro ut ut res se habuerit, id pro comperto habemus, Toletanum Legatos privatim invisentem

tem palam professum fuisse, quod Cæsar cum summo Pontifice colloqui summo-
 pere desideret, interea vero Protestan-
 tibus significasset, Synodum Tridenti esse inchoatam, atque ab ipso illius continuationem ardentem exoptari.

Sæc. XVI.
 A.C. 1546.

§. LXXVII.

*Paulus Vergerius Justinopolitanus
 Antistes ab hæreticis seductus.*

Sub idem tempus Petrus Paulus Vergerius Justinopolitanus Episcopus Tridentum venit. Hic idem jam a longo tempore hæreticis, eorumque doctrinæ patrocinari credebatur, progressu tamen temporis hanc ipsam suspicionem firmis inniti argumentis fuit deprehensum. Is autem, cum hosce rumores latius divulgari ægre ferret, hancque labem a se amoliri cuperet, e Germania excessit, ubi aliquamdiu moratus adeo firmam de fidei suæ integritate suspicandi ansam præbuit, ut sanam suam tuendi studio incitatus ad Episcopatum suum secederet: Ut vero eo validiori argumento sese purgaret, librum de fidei dogmatibus contra Religionis Catholicæ desertores in Germania grassantes conscribere cœpit. Ast sive ex eo, quod ipse ab eorum hæresi non adeo, ut putari amabat, alienus esset,
 feu

Pallav. l. 6.
 c. 13. n. 3.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

seu inde, quod eorum libros confutandi studio incumbens ob ingenii imbecillitatem seductus fuerit, novæ sectæ nomen dedit, suumque fratrem Joannem Baptistam Vergerium Juliæ-Pietatis Episcopum eodem veneno infecit: Ambo itaque suum quisque gregem Lutheri erroribus imbuendi consilium inierunt, atque id etiam impia fidelitate effectui dederunt. Verum Annibal Grifonius hæreticæ pravitatis Inquisitor Religionis studio animatus hæreticis progressibus tam in Julianensi, quam Justinopolitana Diœcesi obicem ponere, tanta animi constantia satagit, ut Paulus Vergerius in urbe sua haud ultra tutum sibi asylum relinqui ratus Mantuam ad Herculem Gonzagam confugeret: nec ibi diu impunem se fore cernebat, eoquod Joannes de Casa Pontificius apud Venetos Legatus Herculem, ut hunc hospitem de fide suspectum dimitteret, fervidis adeo precibus urgeret, ut Vergerius Mantua excedere, consultissimum fore censeret.

§. LXXVIII.

Vergerius Tridentum delatus, & per Legatos a Synodi functionibus exclusus.

Attamen adeo non calamitatem, quam sibi metipso accersiverat, seria tum men-

mente perpenderat, ut etiam Tridentum Sæcul. XVI: A.C. 1546.
 pergere non dubitaret, eo animi propo- Pallav. l. c.
 sito, ut ibidem delicto suo excusationem Fra Paolo hoc anno.
 obtenderet: cum autem Legati eundem Sleid. l. 21.
 tanquam de hæresi suspectum Romam
 fuisse citatum intelligerent, aditum ei
 ad Congregationes intercluserunt, sal-
 tem tamdiu, usque dum coram Sede A-
 postolica innocentiam suam vindicasset,
 quapropter illum, ut Pontificem adiret,
 hortabantur, nec forte hisce monitis
 contenti fuissent, nisi violatæ libertatis
 in Synodo promissæ calumniam timuif-
 sent. Itaque Vergerius, cum se præter
 expectationem suam a jure inter Patres
 sedendi exclusum cerneret, Tridento di-
 scessit, obtinuit tamen a Papæ Legatis
 commendatitias literas adeo efficaces,
 ut veniam impetraret se Romæ non si-
 stendi, commissa ejus caussa Joanni de
 la Casa Legato ac Patriarchæ Veneto:
 cum vero Vergerius ibidem appulsus
 haud ignoraret, quod ambo hi Episcopi
 in eum judiciariam causam instruere
 jussi essent, aliunde vero ipse suos erro-
 res abjurare nullatenus intenderet, hinc
 relicta Italia in Rhætiâ inter hæreti-
 cos se recepit, palamque Lutheri sectam
 professus est (*).

§. LXXIX.

(*) Quænam in hac historia de Vergerii fato
 falsa a Paulo Sarpio ac Sleidano narrentur, lege-
 ris apud Pallavicinum loc. cit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. LXXIX.

Legati a Papa missionem suam incassum petentes.

Pallav. c. 13. n. 5. Cum Legati plus quam integro anno Tridenti hæerent, inde recedendi licentiam, aliosque sibi subrogari a Pontifice petierunt; Cardinalis enim Montanus reapse tam adversa premebatur valetudine, ut sæpe lecto decumbens publicis congressibus interesse haud posset. Cervinus autem æque ac Polus obtinebant, quod alii demandata eis provincia dignius functuri essent, nec deerant aliæ rationes, quas ipsis eorum modestia suggererat, ac ipsi eas abs dubio a Papa gravissimas censi sperabant. Verum Paulus III. adeo nihil eorum precibus dederat, ut illos potius hortaretur, atque impense rogaret, quatenus ulterius operam suam pro utilitate Ecclesiæ impenderent; facile enim sibi persuasum habebat Pontifex, quod his Tridento recedentibus ægre alios ex Cardinalibus invenire posset, qui paricum dexteritate ac prudentia negotia tam ardua pertractare, Patrumque animos ob Nationum, ex quibus Synodus constabat, diversitatem non raro inter se dissidentes conciliare possent. Porro sub idem tempus Pontifex aliquod illius Diplomatis, quod circa disciplinæ emen-

emendationem multos ante annos con- Sæcul. XVI.
 fecerat, exemplar ad Legatos transmi- A.C. 1546.
 fit, ut Romanæ Curix emendationem
 semetipsum reapse dudum desiderasse
 ostenderet, palamque faceret, hanc jam
 prius a se fuisse perfectam, quam a Sy-
 nodo suggestam.

§. LXXX.

*Congregatio contra abutentes verbis
 sacre Scripturæ.*

Habebantur die tertia ac quinta Apri-
 lis duo Patrum confessus, in quibus
 agebatur de abusibus verborum sacre
 Scripturæ, quando illa ad usus Verbi
 divini Sanctitati omnino adversos, vel
 ad artes magicas, aut ad superstitiones
 pro inveniendis thesauris adhibentur,
 vel famosis libellis Verbi divini textus
 usu fere maligno ac impio applicantur:
 præcipue vero id satyris Romæ adeo fre-
 quentibus inserere prohibebatur. Ad
 hoc etiam superstitionum genus revoca-
 batur vanus sacrosancta Evangelia se-
 cum deferendi, vel Dei nomen usurpan-
 di usus pro prævertendis, aut sanan-
 dis infirmitatibus, aut avertendis in-
 fortunis, & pro rebus prosperis sibi
 procurandis, vel etiam, quod majore
 adhuc sapit malitiam, pro operibus
 lascivis, aliisque impiis actionibus, aut
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Kk pro

Sæcul. XVI. A.C. 1546. pro conjurandis animalibus, quæ agris, fatisque nocent: Cunctos igitur hosce abusus damnari, ac puniri petebant Patres, qui omnes uno ore dicebant, quod Verbum Dei tanta, quanta ei debetur, reverentia æstimari haud possit, ut pro in maximum sit flagitium ad profanos usus illud detorquere: cum autem horum abusu numerus pene numero concludi haud posset, ac aliunde Synodus non eo ex fine convocata foret, ut singulis malis prope innumeris prospiciat: hinc communis opinio eo tendebat, ut Decretum conderetur, in quo tamen peculiaris abusu mentio non fieret, sed ii verbis duntaxat generalibus prohiberentur, de cetero autem poenæ Episcoporum arbitrio relinquerentur, simulque interdiceretur Typographis, ne sacrum quid prius excudant, donec publice approbetur.

§. LXXXI.

Postrema Congregatio generalis Sessioni præmissa.

Pallav. l. 6. c. 16. n. 1. Raynald. hoc anno n. 45. Die septima Aprilis pridie ad Sessionis indictæ diem generalis adhuc habebatur Patrum confessus, quo postrema admoveretur manus Decretis altera die promulgandis: ubi etiam Synodi Promotor quorundam Episcoporum ab-

sen-

sententiam contumaciam accusare iussus ^{saecul. XVI.}
est. Obstitit tamen vehementer Tri- ^{A.C. 1546.}
dentinus Cardinalis, hæc exponens:

*Saltem Germaniæ Episcopi sint excipien-
di, quos merito excusant Comitatus Ratis-
bonensia, quibus durantibus illorum præ-
sentia in suis Diocæsis est oppido neces-
saria, ut Religionis causam defendere,
ac Synodi auctoritatem tueri valeant (*).*

„Nunc enim non agitur de sententia con-
„tra hos vel illos sigillatim pronuntian-
„da, sed Promotor duntaxat suo mune-
„re fungatur generatim contra absen-
„tes, neque Concilium postea, nisi sum-
„ma æquitas id suadeat, & matura de-
„liberatio præcesserit, ad damnationis
„sententiam progrediatur. „ Ceterum
in eodem Patrum confesso deliberatum
fuit de tenore responsionis novo Cæsa-
ris Legato reddendæ. Hic paucis an-
te diebus a Patavino itinere suo redux,
Synodi Præsides altera jam vice invisit,
eisque grates rependit, eoquod ei locum
in Sessionibus præ cunctis Patribus qua-
si e regione Legatorum assignassent.

Kk 2

Post

(*) Ea, quæ sequuntur, Continuator mi-
nus solerter ex Pallavicino descripsit, eaque
tanquam a Cardinale Tridentino prolata addu-
xit, cum tamen hæc verba ejusdem Cardinalis
assertis fuerint opposita.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Post hæc amplissimam Cæsaris sui Principis nomine pollicitus est operam, atque hæc subjunxit: *Non sine animi maiore percepi, Præsules quosdam ex Cæsaris ditioe non exacta interdum usos esse modestia in congressibus, si igitur Legatis probaretur, vellem ipso cætibz interesse, ut illos in officio præsens continere valeam, cunctisque patefiat, esse Cæsaris voluntatem, ut Cæsaris subditi reverentiæ exemplo erga summum Pontificem, sedemque Apostolicam ceteris præluceant. Ad hæc Legati præstita gratiarum actione reposuerunt: Haud diffitemur, quod Præsules, quos sugillas, nonnunquam se consideratius gerere potuissent, generatim tamen laude dignos existimamus propter obedientiam, qua semper Legatis Pontificiis obsequabantur, de cetero, si tibi libuerit generalibus cætibz adesse, id nobis gratum erit.*

§. LXXXII.

Synodi responsum ad Cæsaris Legatum.

Cum igitur Cæsaris Legatus oblatam facultatem acceptaret, die quinta Aprilis publice prima vice interfuit Patrum confessui, a tribus Episcopis eo deductus, postquam Legati congregatis Patribz illius adventum nuntiaverant.

Ibi

Ibi recitato Cæsaris mandato, ceteris-
 que, quæ ipse proponere jubebatur, per-
 honorifice eidem responsum est, additum
 tamen, ne eidem displiceret, si quoque
 quemadmodum ipse non sine prævia de-
 liberatione, ac scripto suam orationem
 exhibuerat, eodem modo Patres age-
 rent, suumque responsum ad confessum
 die septima Aprilis celebrandum differ-
 rent, ipse vero eidem interesse haud gra-
 varetur: igitur præfixa die Legatus pa-
 ri, ut antea factum, honore ad cœtum
 deductus fuit, moxque Præses Synodi
 nomine verba faciens ita exorsus est;
*Adventus Dominationis vestræ huic sa-
 crosanctæ Synodo gratissimus est, tum
 propter eam observantiam, qua merito
 Augustissimum Imperatorem Synodus ip-
 sa prosequitur, tum propter favorem,
 quem de piissimo animo Majestatis suæ in
 tam sancto, ac universæ Christianæ rei-
 publicæ salutari opere, sibi firmissime pol-
 licetur: cui etiam Dominationis vestræ
 præsentiam ob præstantes ejus animi do-
 tes & Religionis studium, plurimum ad-
 jumenti allaturam sperat, quare & Do-
 minationem vestram grato, ac benevolo
 animo amplectitur, & mandata Cæsareæ
 Majestatis per eam exhibita & producta,
 quantum de jure debet, admittit, vehe-
 menter dolens de ejus Collegæ clarissimi
 Viri, & huic sanctæ Synodo multis no-*

Sæcul. XVI. *minibus gratissimi, adversa valetudine,*
 A. C. 1546 *Et ei melius esse magnopere cupiens: pro*
conjuncta vero ipsius Augustissimi Impe-
ratoris, cum sanctissimo Domino nostro
Paulo III. Pontifice maximo in orbodo-
xa fide Et Religione nostra tuenda Et con-
servanda, voluntate, omnipotenti Deo,
omnium honorum auctori, quantas ma-
ximas potest, gratias agit, quem assidue
precabitur, ut piis utriusque studiis, ad
ipsius omnipotentis Dei laudem Et glo-
riam, Religionis Christianæ incvemen-
tum, Et Ecclesiæ pacem, prosperamque
in omnibus, Et optatum ipsius sanctæ Sy-
nodî successum adspirare dignetur.

Absoluta hac oratione Patres sententias suas edicere rogabantur circa Decreta postero die promulganda, hancque in rem Legatus cunctos hortabatur, ut submisso silentio religiose servato unum cor, eandemque animam ostenderent, nec horum Decretorum promulgationi novas tricas opponerent. Ea igitur perlegebantur ab omnibus approbata, solus tamen Clodiensis Episcopus contra articulum de Vulgatæ editione factum peroravit, atque adversus eam Decreti partem, in qua sacras Literas pari affectu ac reverentia æque ac Traditiones esse recipiendas fuit pronuntiatum, vehementius insurgens dixit, quod ea verba tanquam impia rejiciat, eundem-

demque pietatis cultum ac veneratio- Sæcul. XVI.
 nem Traditionibus ac sacris Paginis de- A.C. 1546.
 beri perneget. Verum hic Episcopus
 sacri Codicis auctoritatem ac genuinum
 illius sensum Traditionibus defendi, eis-
 que inniti non perpenderit, nec etiam
 mente sua assequebatur, quod diversa
 sint genera Traditionum, earumque aliæ
 ad fidem, quædam ad Religionem, at-
 que aliæ ad ritus seu cæremonias spe-
 ctent, & priores quidem immutari haud
 valeant, ipsaque Synodus de illis dun-
 taxat mentionem faciat, ceteræ vero ut-
 pote juri positivo innixæ pro varia tem-
 porum ratione mutari valeant, quas in-
 ter recenseri potest Communio sub utra-
 que specie, quæ nunc præcepta, modo
 prohibita fuit: Itaque ob hanc ignoran-
 tiam primus Legatus Episcopum corri-
 puit, ceterorum vero Patrum doctrinam
 ac prudentiam commendans eos admo-
 nuit, ut rebus controversis jam antea
 satis superque exagitatis, in proxima
 Sessione iisdem dotibus conspicui præ-
 lucerent. Eadem die Marcellus Cervi-
 nus illos, qui Decreto de editione Vul-
 gatæ refragabantur, convocavit, eisque
 significavit, quod nullam querendi cau-
 sam haberent, cum libertas relicta esset
 tum illius editionem emendandi, tum
 ad textus originarios recurrenti, neque
 aliud vetitum fuerit, nisi eidem ejusmo-
 di

Sæcul. XVI di errores attribuere, propter quos illa
A. C. 1546. foret rejicienda,

§. LXXXIII.

Concilii Tridentini Sessio IV.

Labbe Coll. Concil. t. 14. p. 744. Pallav. n. 4. Raynald hoc ann. n. 48. Die octava Aprilis habita est Sessio quarta, ad quam Synodi Patres pro more in Ecclesia Cathedrali Pontificio habitu ornati convenerunt. Præcedebant eos tres Legati, quos sequebantur duo Cardinales Madrutius & Pachecus, novem Archiepiscopi, & quadraginta duo Antistites præter Franciscum Toletanum Cæsaris Legatum, qui Mendozæ absentis vices supplebat. Aderant quoque P. Jajus ex Societate Jesu Augustani Cardinalis Procurator, omnesque illi Abbates ac Ordinum Generales, qui ad præcedentem Sessionem confluxerant. Post hæc Turritanus, hodie Saffarensis Episcopus rem divinam de Spiritu sancto peregit, sermonem vero Latinum Augustinus Bonuccius supremus Servorum B. V. Præfectus habuit, vehementerque adversus Lutherum declamavit, ostenditque, illum esse Pseudo-Apostolum, impium Verbi divini corruptorem, eoquod per sacrum Evangelium ea, quæ illi recta adversantur, stabilire præsumpsit, secumque hominum cohortem gladiis & fustibus armatam du-

duxit, ut ea doceret, quæ non nisi ca- Sæcul. XVI,
A.C. 1546.
ro & sanguis eidem revelare poterant.

Absoluta oratione, precibusque pro more peractis Litaniam decantabantur, ad illa autem verba a Cantoribus prolata: *Ut domum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris*: tres Præsides prius genuflexi surgebant, primusque Legatus vultu ad Patres converso eis bene precatus est, alta voce exclamans: *Ut banc sanctam Synodum &c.* Omnibus hisce finitis quidam Diaconus ex cap. 7. D. Matthæi Evangelium, quod incipit ab his verbis: *Attendite a falsis Propbetis &c.* decantavit, quo absoluto Præsides Hymnum: *Veni Creator Spiritus*: intonans, postea orationem subjunxit: idem vero Archiepiscopus, qui prius sacris operatus est, Decreta prælegit, & an ea Patres approbarent, interrogavit, cui omnes responderunt: *Placent*, cum aliquibus additionibus. Hac lectione finita ad diem septimam Junii, in quam incidit feria quinta post Pentecosten, Sessio sequens fuit indicta.

§. LXXXIV.

Sessio IV. Decretum primum de Libris Canonicis.

Ex illis, quæ in hac Sessione prælebantur, Decretis primum libros Ca-

Sæcul. XVI. nonicos concernebat his verbis conce-
 ptum: *Sacrosancta Oecumenica & gene-
 ralis Tridentina Synodus, in Spiritu san-
 cto legitime congregata, presidentibus
 in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Le-
 gatis, hoc sibi perpetuo ante oculos pro-
 ponens, ut sublatis erroribus puritas ip-
 sa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod
 promissum ante per Prophetas in Scriptu-
 ris sanctis Dominus noster Christus Dei
 Filius proprio ore primum promulgavit,
 deinde per suos Apostolos, tanquam fon-
 tem omnis salutaris veritatis, & morum
 disciplinæ, omni creaturæ prædicari ius-
 sit, perspicuensque hanc veritatem & di-
 sciplinam contineri in libris scriptis, &
 sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius
 Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab
 ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante,
 quasi per manus traditæ, ad nos usque
 pervenerunt, Orthodoxorum Patrum ex-
 empla secuta, omnes libros tam veteris,
 quam novi Testamenti, cum utriusque
 unus Deus sit auctor, nec non Traditio-
 nes ipsas, tum ad fidem, tum ad mores
 pertinentes, tanquam vel ore tenus a Chri-
 sto, vel a Spiritu sancto dictatas, & con-
 tinua successione in Ecclesia Catholica
 conservatas, pari pietatis affectu ac re-
 verentia suscipit ac veneratur: Sacro-
 rum vero librorum indicem huic Decreto
 adscribendum censuit, ne cui dubitatio
 sub.*

suboviri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. LXXXV.

Canon Librorum sacrae Scripturae.

Testamenti veteris, quinque libri Moyses, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nebemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Cantorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, duodecim Prophetæ minores, scilicet Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nabum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ B. Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad He-

Sæcul. XVI *Hebræos; Petri Apostoli dua; Joannis*
A C. 1546. *Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Ju-*
da Apostoli una, & Apocalypsis Jo-
annis Apostoli. Si quis autem libros ipsos
integros cum omnibus suis partibus, pro-
ut in Ecclesia Catholica legi consueve-
runt, & in veteri vulgata editione ha-
bentur, pro sacris & Canonicis non su-
sceperit, & Traditiones prædictas sciens
& prudens contempserit, anathema sit.
Omnes itaque intelligant, quo ordine &
via ipsa Synodus post jactum fidei confes-
sionis fundamentum sit progressura, &
quibus potissimum testimoniis ac præsidis
in confirmandis dogmatibus, & instau-
rands in Ecclesia moribus sit usura.

§. LXXXVI.

Alterum Decretum de editione &
usu sacrorum Librorum.

Labbe Coll. *Alterum Decretum agit de editione &*
Concil. p. 747 *usu sacrorum Librorum, atque est*
hujus tenoris: Eadem sacrosancta Syno-
odus considerans, non parum utilitatis
accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omni-
bis Latinis editionibus, quæ circumfe-
runtur, sacrorum librorum, quænam pro
authentica habenda sit, innotescat, sta-
tuit, & declarat; ut hæc ipsa vetus &
vulgata editio, quæ longo tot sæculorum
usu in ipsa Ecclesia probata est, in publi-
cis

cis lectionibus, disputationibus, prædi- Sæcul. XVI.
 cationibus & expositionibus pro autben- A.C 1546.
 tica babeatur, & ut nemo illam rejicere
 quovis prætextu audeat, vel præsumat.
 Præterea ad coercenda petulantia inge-
 nia decernit, ut nemo suæ prudentiæ in-
 nixus, in rebus fidei & morum ad ædifi-
 cationem Doctrinæ Christianæ pertinens
 tium, sacram Scripturam ad suos sensus
 contorquens, contra eum sensum, quem
 tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia,
 cujus est judicare de vero sensu & inter-
 pretatione Scripturarum sanctarum, aut
 etiam contra unanimum consensum Pa-
 trum ipsam Scripturam sacram interpre-
 tari audeat, etiamsi bujuscmodi interpre-
 tationes nullo unquam tempore in lucem
 edendæ forent. Qui contravenerint,
 per Ordinarios declaventur, & pœnis a
 jure statutis puniantur. Sed & impres-
 soribus modum in hac parte, ut par est,
 imponere volens, qui jam sine modo, hoc
 est, putantes sibi licere, quidquid libet,
 sine licentia Superiorum Ecclesiastico-
 rum, ipsos sacre Scripturæ libros, &
 super illis annotationes & expositiones
 quorumlibet indifferenter, sæpe tacito,
 sæpe etiam ementito prelo, & quod gra-
 vius est sine nomine auctoris imprimunt,
 alibi etiam impressos libros bujuscmodi te-
 mere venales habent, decernit & statuit,
 ut posthac sacra Scriptura, potissimum
vero

Sæcul. XVI. A.C. 1546. vero hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem & probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum: Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores, & qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur: ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi, authentice appareat, idque totum, hoc est, & probatio & examen gratis fiat, ut probanda probentur, & reprobanda improbanda. Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba & sententiæ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones,

impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat & præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores, & violatores Verbi Dei, juris & arbitrii pænis per Episcopos coerceantur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. LXXXVII.

Contra Episcopos absentes nihil pronuntiatum in Decreto.

Quamvis in quadam Congregatione propositum fuisset, quod contra Episcopos absentes contumaciæ poena decerneretur, nulla tamen hac de re mentio facta fuit in hujus Sessionis Decretis, ac referunt nonnulli, id factum fuisse ad Francisci Toletani Oratoris Cæsarei preces, ne forte Imperator id sibi offensionem duceret: hanc vero petitionem a Cardinalis Tridentini consiliis ideo profectam plures existimabant, eo quod ille vereretur, ne ejusmodi accusatio Germanos perturbaret. Verumtamen Præsides, cum omnem querendansam Legato dare sollicitè præcaverent, priusquam Ecclesiam adirent, rem Madrutio & Pacheco, aliisque plu-

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 6 c. 16.
n. 4. & 5.*

Sæcul. XVI pluribus Episcopis ipsos comitantibus
A.C. 1546 communicarunt, ac denique Massare-
 lo, qui Synodi Patribus a secretis erat,
 præceperunt, ut in legendis Decretis
 illud de absentium contumacia præte-
 riret. Id etiam effectui datum: ast il-
 li, qui prius de hujus Decreti omisso-
 ne admoniti non fuerant, in querulas
 voces erumpebant, Legatosque accu-
 sabant, perinde ac si pro arbitrato suo
 omnia prius in Congregationibus sta-
 tuta immutarent, quapropter eos hac
 de re per Synodi Promotorem commo-
 nefieri jusserunt. Hi ejusmodi quere-
 las adeo non fuere dedignati, ut po-
 tius desiderarent, se per hanc impor-
 tunitatem ad publicandum hoc Decre-
 tum, quin in eo quicquam immutaretur,
 quasi compelli, dummodo id quoque
 Germani ratum haberent, quocirca
 illos de re gesta certiores fieri præ-
 ceperunt. Attamen Cæsaris Orator
 unacum Cardinalibus Tridentino, &
 Pacheco, ne Decretum legeretur, in-
 stitere, ac Præsides coegerunt, ut Pa-
 tribus cunctas hoc Decretum omitten-
 di rationes exponerent, quibus perce-
 ptis mox tumultus deserbuit, atque a
 cunctis Legatorum circumspectio fuit
 commendata.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

*Joannes Diazius Hispanus sedita
Lutheranus ex insidiis tru-
cidatus.*

Cum interea Synodus immoto studio hæresin reprimere satageret, novi in Germania tumultus suscitabantur, quorum ope hoc venenum sese latius diffundebat, magisque invalescere cœperat; Ad hoc ansam præbebat Joannis Hispani cædes, ex qua ingentes rixæ, omniumque Protestantium seditio fuit exorta; præfatus enim Diazius ætate juvenis in Universitate Parisina Theologiæ operam dabat; verum perlectis Lutheri, ejusque Discipulorum libris paulo post seductus Parisiis excessit, Genevam profectus, ubi tum Calvinus agebat: cum vero arrogantem fastidiosi hujus Viri indolem tolerare haud posset, Geneva Argentinam secessit, meliusque cum Bucero convenit, qui mitioris ac flexibilis animi Vir erat, brevique novum hunc Discipulum ejusmodi dotibus præditum agnoscebat, ut sibi spem faceret, eum inter celeberrimos reformationis suæ fautores haud infimum fore: quocirca cum eodem ad Ratisbonense colloquium eundi facultatem a præfatæ urbis Senatu petiit, ob-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. L1 ti-

*Sleid. comm.
l. 17. p. 565.
Spond. hoc
anno n. 15.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
tinuitque. Vix Diazius mense Decem-
bri illuc advenerat, cum illico popula-
rem suam P. Malvendam, quem Lute-
tiæ noverat, visum iret: Is vero hujus
juvenis errores atque opiniones deplora-
rans, validissima quæque adhibuit ar-
gumenta, gravillimasque adhortationes
addidit, ut illum ad Ecclesiæ finem re-
duceret. Verum nulla vel precum vel
rationum vi flectebatur Diazius, obfir-
matoque animo erroribus suis inhærens
haud amplius P. Malvendam accessit.

Postmodum Diazius Neoburgum se-
cessit, ut ibidem cujusdam libri, quem
Bucerus imprimi curabat, emendationi
præesset, cum vero nil minus suspicaretur,
obitupefactus unum ex fratribus
suis, nomine Alphonsum, adventantem
conspexit; hic enim comperta fratris sui
defectione mox itineri sese accinxit, eun-
dem ad saniora reducturus consilia; ve-
rum conatibus suis haud magis secun-
dus, quam Malvendæ, allusit successus,
unde Alphonsum, cum potius fratris sui
pertinaciam deplorare, ac judicia Dei,
qui, *cujus vult, miseretur, & quem vult, in-
durat*, adorare debuisset, illius vitæ ac
corpori insidiatus est, cujus tamen uni-
ce animam, ejusque salutem procurare
oportuisset: Itaque reditum simulat, ac
tera tamen die rursus unacum quodam
iti-

itineris comite Neoburgum pergit, ibi-
 demque prima luce die vigesima septima
 Martii advenit, in nullum majori cum
 sollicitudine inquirens, quam in fratrem
 suum, ad cujus etiam diverforium mox
 accessit unacum famulo suo, qui ultimus,
 ne agnosceretur, Tabellarii vestem in-
 dutus ad Diazii cubile ascendit, nec non
 ad illum literas, quas ab ejus fratre scri-
 ptas ipsi traderet, habere fingit: Al-
 phonsus vero interea ad infimos scalæ
 gradus substitit: Igitur e somno excita-
 tur Diazius, eique ementitus Tabella-
 rius literas reddit, quas cum ille perle-
 geret, hic securim illi in dexteram capi-
 tis partem totis viribus impingit, eum tru-
 cidat, seque celeri fuga unacum Alphon-
 so proripit. Hac cæde tam Augustæ,
 quam alibi divulgata confestim emitte-
 bantur, qui ambos hosce sicarios strenue
 insequerentur, nec illi horum solertiam
 effugere poterant; quippe ambo depre-
 hensi Oenipontum capti abstrahebantur.
 Re comperta mox Otto Henricus
 Principes duos ex suis Consiliariis eo
 ablegabat, qui capitis causam urgerent.
 Verum Imperator ab actione desisti jus-
 sit, causatus, quod ipse in Comitibus
 unacum Romanorum Rege hanc causam
 discutere vellet, quapropter cum
 Elector Palatinus & Otto Henricus ca-
 ptos Neoburgum, ubi perpetratum erat

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæc. XVI. homicidium, præstita cautione trans-
 A.C. 1546. mitti, ab Oenipontano Senatu peterent,
 ipsis mox Cæsaris interdictum fuit op-
 positum.

§. LXXXIX.

Landgravii cum Cæsare colloquium.

Sleidan. l. c.
p. 569.
Thuan. hist.
l. 2. hoc ann

Quamvis Ratisbonensis Conventus ad
 proximum mensem Majum a Cæ-
 sare fuisset indictus, eidem tamen non
 nisi sexta Junii die datum est initium, in-
 terea vero frequens erat Landgravii cum
 Cæsare colloquium; quippe per Na-
 vium Landgravius fuerat admonitus, ut
 Cæsarem Ratisbonam profecturum in
 via conveniret, nec minus idem quoque
 ei suaserat Granvellanus, eo fine, ut
 mutui hujus congressus opportunitate
 suspiciones ac diffidentias ex variis ru-
 moribus hinc inde sparsis conceptas amo-
 liretur. Horum consilium secutus Land-
 gravius die vigesima octava Martii Spi-
 ram venit, quam urbem Imperator non
 ita pridem ingressus erat, ibidemque E-
 lector quoque Palatinus & Guilielmus
 Massenbachius Wittembergici Ducis O-
 rator jam antea advenerant: Igitur
 Landgravius privati colloquii copiam
 nactus præprimis ea, quæ Francofor-
 diæ gesta fuere, excusabat, postea ve-
 ro Cæsarem his verbis alloquebatur:
Non uno ex loco, nec e Germania tantum,

sect

sed ab exteris etiam nuntiatur, potentissime Sæcul. XVI.
 Cæsar, te, impulsu Pontificis, in Socios A.C. 1546.
 Augustanæ Confessionis male animatum esse,
 rumor etiam spargitur, quasi Galliæ Regi
 persuaseris in actione pacis, ut in iis multan-
 dis opem tibi ferat: adhæc Turca abs te sol-
 licitari dicitur de induciis, ut eo commodius,
 quod propositum habes, perficias, ideoque
 Concilium indictum & inchoatum a Pontifi-
 ce, ut factis illico Decretis, executioni res
 mandetur: huic autem famæ prope fidem fa-
 cit, & nos vehementer movet instituta lis ad-
 versus Episcopum Coloniensem, & manda-
 tum illud grave, sollicitantibus adversariis,
 in ipsum editum. Et sane, quoniam in
 Galliæ Regem, atque Turcam auxilia tibi
 tam liberaliter dedimus, majora quoque fa-
 cturi, sicut Spira demonstratum fuit, quia
 plus etiam contulimus, quam majores nostri
 consueverunt, quia de pace, deque jure, tum
 Ratisbonæ, tum Spira, prolixè nobis cavi-
 sti, omnino præter expectationem ista nobis
 accidunt, speramus tamen, fore, priusquam
 ex Imperii finibus excedas, ut Religionem
 ex Verbi divini præscripto per nationis Ger-
 manicæ Concilium desiniri facias, & si forte
 componi dissidium non possit, tamen quæ Spi-
 ra promissa nobis pax fuit, ut eam integre
 servari jubeas, ita quidem, ut nullius vel Con-
 cilio vel Imperii Conventus Decreto mutari
 possit, aut etiam tolli.

Sæcul. XVI.

A C. 1546.

§. XC.

Cæsaris responsum, ac Landgravii oppositio.

Ad hæc Imperator mox per Navium Landgravio hæc respondere iussit: *Varii quidem ad me rumores fuere allati de Protestantibus, quasi molirentur aliquid contra Imperium, sed non habui fidem, multo minus nunc etiam illud credo, quod de Galliarum Rege dicitur, cum ejus nullum afferri possit documentum: pax intercedit mihi cum illo tantum, nec aliud quicquam: mos est illius gentis, ut temere multa sæpe jacent. De induciis Turcam interpellavi, Germaniæ causa potissimum: cum enim Principes in plerisque Comitibus de sumptus magnitudine querantur, & populi tenuitate, via hæc mihi visa est cumprimis idonea, ut per tempus induciarum de belli ratione in illum suscipiendi, deque Religionis compositione tractari possit, nihil tamen adhuc est definitum, nihilominus cum fratre sermonem de eo conferam: Concilium, quod multis nunc annis a me flagitastis, maximo meo labore jam est congregatum, quicquid ejus rei feci, optimo in Rempublicam animo præstiti: quod, autem secus nonnulli forsitan illud interpretentur, non recte fit: Coloniensem Archiepiscopum huc usque perbenigne habui, verum ille ne minimam quidem moram actioni suæ*

uo.

voluit interponere: Quis vero meus sit ar-
 morum apparatus aut cogitatio belli, coram
 vides: præter familiares atque domesticos in
 meo nemo est comitatu, nullas etiam cogi ma-
 nus: cur te autem accersiverim, caussa est,
 quod pacis te esse studiosum existimaverim,
 ideoque peto, ut, quomodo Religionem pa-
 cari, vel quid a sociis obtineri posse putes,
 ostendere velis. quod si jam in præsentia no-
 lis, mittam tibi Consiliarios, quibuscum ea
 de re colloqui poteris.

Sæcul. XVI.
 A.C 1546.

His perceptis Landgravius reposuit:
 Ad Germaniæ salutem, & ad retinendam
 inter te, Cæsar, ac Ordines omnes amici-
 tiam, si quid conferre possum, nulli certe la-
 bori meo parcam, & hac inprimis de caus-
 sa huc veni: cuperem sane, plures adesse so-
 cios, verum id propter temporis angustias
 fieri non potuit: Saxonix quidem Elector
 longius abest, & Jacobus Sturmius valetu-
 dinè impeditur. Credo equidem, varia tibi
 esse delata, sed profecto sic res habet, ut ad
 Navium scripsi: nullum enim est a nobis
 Francosurti contra te susceptum consilium,
 & id solum egimus, quomodo & in Reli-
 gione nostra permanere, & vim injustam
 depellere possimus.

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. XCI.

Landgravius sese Tridentino Concilio submittere recusans.

Sleid. p. 571

Thuan. l. c.

Ad ea, quæ Cæsar de Concilio Tridentino dixerat, Landgravius hæc subjunxit: *Fateor, Concilium quidem flagitavimus, sed liberum & pium, inque Germania celebrandum: cur autem Tridentinum istud eo loco non habeamus, Wormaticæ tibi demonstravimus abunde, nam exclusis idiotis, ut nos omnes vocant, Episcopi & alii, qui sunt Pontifici jurejurando devoti, decernendi potestatem ibi soli obtinent: ut Religionis componendæ rationem aliquam ostendam, mihi sane non est integrum absque Sociorum interventu, & utrinque malam mihi gratiam esse paratam video: quo minus autem inter tuos atque me sermocinatio aliqua fiat, sine præjudicio tamen, non recuso. Equidem in Concilio non multum habeo positum spei, sed Provinciæ Germanicæ Convantum arbitror futurum non inutilem, nam sententiis atque dogmate nimium adhuc a nobis reliqui populi dissident: in Germania vero sic est comparatum, eoque res devenit, ut mutari non possit: nihil ergo potius est, aut præstabilius, quam ut liberam permittas in ea Religionem, sic tamen, ut pacem omnes colant. Colloquium opinor optimo consilio institutum abs te Ratisbonæ, sed ab iis, qui*

interfuerunt, accipio, Monachos ibi quosdam esse virulentos, qui dogmata superioribus annis eodem loco conciliata rursus in disputationem adducunt, & vita quoque tam sunt impuri, prorsus ut nihil ab iis expectari possit. Coloniensis Archiepiscopus haud dubie Vir bonus est, & quicquid hujus rei facit, ex officio sese facere arbitratur, praesertim, cum Ratisbonensis Comitii Decretum Ecclesiae reformationem ei mandet: eam vera, quam fieri potuit, moderatissime conscribi jussit, & necessaria tantum sustulit, & in sacris bonis nec minimum immutavit: Liber autem ille cum sacra Scriptura congruit, & habet veterum Doctorum testimonia, Tertulliani, Augustini, Ambrosii, & aliorum, qui proximiores aetati fuerunt Apostolorum: si qua vis igitur ei propter hanc causam intentetur, id cautionis loco futurum sit aliis, qui multo plura mutarunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. XCII.

Responsio Cæsaris Landgravio data.

Ad hanc Landgravii orationem rursus Cæsar respondit hunc in modum: *Adionem Francosfordiensem suo loco relinquo, nec fidem iis habeo, quæ delata sunt, neque sane causam dedi, quam ob rem ita fiat: nunc meo etiam ut sermone tibi amplius satisfiat, Concilium eo procuravi, ut & reipublicæ prodesset, & qui sunt ibi Patres,*
ultro

Sæcul. XVI. A. C. 1546 ultro sese reformarent: neque meum est propositum, ut, si quid ibi decretum est, Confessionis Augustanæ Sociis idcirco vis ulla fiat: hac etiam ipsa de causa Ratisbonæ colloquium institui, cujus initium quidem fuit egregium, modo esset facta progressio: Coloniensis, etsi promiserit, velle supersedere, atque differre, progreditur nihilominus, & cogit homines ad suum institutum: Ratisbonæ factum est Decretum, ut suas Ecclesias Episcopi reforment, non autem illis permissum, ut novam fidem atque Religionem introducant: deinde & hoc additum, ut emendationis formulam concipiant, & post in altero Imperii Conventu cognoscendam exhibeant: ille etiam Ecclesiæ Ministris atque Pastoribus ordinariis remotis instituit novos: adhæc impediit Canonorum facultates atque Vestigalia, sibi que partem aliquam ex iis voluit adscribere, & acerbis edictis rem egit, sic quidem, ut patrocinium & opem meam imp'orante Clero, necesse haberim, pro meo munere, quod gero, contrariis mandatis illum coercere, ac prohibere, ne hæresis totum illius Electoratum inficeret.

§. XCIII.

Landgravii responsum ad cunctos hosce articulos.

Rursus ad hæc Landgravius Cæsari hæc in responsis dedit: Quod ita bene

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

ne sis in Germaniam, meosque Socios affe-
 ctus, perjucundum est mihi, Cæsar amplif-
 sime, Deumque precor, ut in eo perseveres.
 Ac sane, si qua vales ingenii præstantia,
 rem omnem bene consideres, ac tecum perpen-
 das ipse, quantas tibi, tuisque Regnis atque
 Provinciis commoditates afferat Germania,
 reperies, nihil esse potius, quam ut te tan-
 quam suo præcipuo Magistratu lætentur om-
 nes Ordines, & tu vicissim illis utaris bene-
 volis & officiosis, nam certe, si Germaniam
 debilitari contingat, tuo erit hoc imprimis
 incommodo maximo: Quæ tua sit etiam de
 Concilii Decretis mens atque voluntas, per-
 cupide audiui, sed ut Synodi Patres refor-
 ment se ipsos, vereor, ut id sperari possit:
 etenim & Pontifici devincti sunt, & soli de-
 cernunt, & quamquam emendatione cumpri-
 mis opus habent, tamen illam sibi minus uti-
 lem, & proventibus annuis noxiam esse vi-
 dent: in colloquio Ratisbonæ vereor, ut re-
 cte ac ordine res geratur, nam & aditionis
 exempla denegantur, & initio non fuerunt
 permitti nostris tabelliones atque scribæ. De
 Coloniensi res habet, ut ante dixi, quia Pa-
 stor est, cupit bonum atque salutare pabu-
 lum suis ovibus proponi: putat, hoc sui esse
 officii, conscribi jussit igitur ejus rei formu-
 lam, & qui nunc sunt ejus adversarii, fue-
 runt initio reformationis avidi, Gropperus
 imprimis: nunc, postquam eo ventum est,
 recu-

Sæcul. XVI. recusant & tergiversantur. Mox Cæsar
A.C. 1546. Landgravium interpellans, ab, quid re-
 formet, inquit, bonus ille Vir: rudi-
 menta Latina vix leviter attigit: per
 omnem vitam tres tantum Missas peregit,
 quarum ipse duas audiit: non callet Missæ
 initia. Sed diligenter, reposuit Landgra-
 vius, evolvit libros Germanicos, & quod
 certo novi, Religionem intelligit. Cæ-
 sar opposuit: Reformare non est aliam
 invehere fidem aut Religionem. Nec il-
 le, inquiebat Landgravius, fatetur no-
 vam a se Religionem esse receptam, sed
 veterem illam a Christo nobis relictam &
 Apostolis redintegrari: quod nonnullis
 Pastoribus remotis præfecerit alios, ad
 ipsius curam istud pertinet: nam si Mi-
 nister est vel impuræ vitæ, vel indoctus,
 Episcopi certe est, illi submittere, qui
 sit idoneus: passim in ditionibus Episco-
 porum multæ vacant Ecclesiæ, quod pos-
 sum affirmare, destitutæ Pastoribus, ubi
 populus nulla neque doctrina pascitur, ne-
 que regitur disciplina, sed pecudum mo-
 re vitam agit & barbaram & dissolu-
 tam. Quod Cleri facultates interpellat,
 banc rationem habet, quoniam in bellum
 Turcicum & Gallicum auri vim maxi-
 mam impendit. Est autem Imperii mo-
 ris, ut Magistratus hoc nomine suis pe-
 cuniam imperent: nullam ergo reprehen-
 sio-

tionem istud meretur, quod autem Reli- Sæcul. XVI.
gionis hoc eum causa facere vulgo fer- A. C. 1546.
tur, id ad ipsius invidiam excogitarunt
adversarii.

§. XCIV.

*Aliud colloquium in Palatini Ele-
storis Palatio.*

Alter die Landgravius, Granvellanus, *Sleid. p. 574.*

Navius & Massenbachius apud Ele-
ctorem Palatinum convenerunt, ibidem-
que Navius aliquam hesterni colloquii
quod Landgravius cum Cæsare habuit,
partem recitabat, quantumque Cæ-
sar concordiae esset cupidus, exponebat,
hancque ob rem colloquium Ratisbonæ
fuisse institutum, Theologos vero inde
nimis præmature discessisse dicebat.
Tum Landgravius reposuit: *De illorum
discessu nihil adhuc mihi constat, sed ad
Saxonem æque ac ad me fuit perscriptum,
quam incommodæ sint ipsis propositæ con-
ditiones, quando nec initio Scribas adese,
nec actionis exemplum exhiberi, ne-
que ad Principes aliquid enunciari, Præ-
sides voluerunt: audiui etiam, quam agant
immodeste Theologi collocutores, qui &
dogmata pridem ibi conciliata rescindunt,
& concordiae spem omnem adimunt, & il-
laudatis vitæ exemplis homines offen-
dunt: an idcirco nostri discesserint, re-
de-*

Sæcul. XVI. *desperata, nondum mihi est compertum,*
 A.C. 1546. *ego quidem illos non revocavi.*

Loquentem excepit Granvellanus ac conditiones pro colloquio propositas fuisse æquissimas ostendit, id vero, quod Theologi rei gestæ seriem ad suos Socios rescribere fuerint prohibiti, sine Cæsaris jussu factum demonstravit: mox tamen Landgravius eos hortatus est, ut omissis hisce contentionibus potius ad rei summam descenderent, quam in rem ita effatus est: *Decretum illud ante biennium Spiraë factum de pace laudo, & approbo, & pacificandæ Religionis Provinciæ Germanicæ Concilium imprimis optum esse docet, & quoniam Itali, Hispani, Galli, tantopere a Germanorum dogmate dissident, generalis, vel ut vocant, œcumenici Concilii non magnum usum esse futurum censeo: verum utcumque res cadat, & ut conciliatio nulla fieri possit, colenda tamen est pax, & Spirense Decretum minime tolli oporteret; Religionis enim is nunc est status per Germaniam, ut si quis eam opprimere conetur, infinita sint hominum trucidanda millia, ad disceptationem igitur hanc non Germani tantum, sed reliqui etiam omnes populi Christiani nominis pertinent: Theologi plerique sunt homines morosi, difficiles, obstinati, quibuscum expediri causa non potest: adhibendi*

di sunt igitur *Viri Principes & Optima* Sæc. XVI.
tes, & media quædam, est dogmatum in- A.C. 1566.
venienda ratio. Optabile cum primis ef-
set, ut media quædam dogmata statuan-
tur, & quidem a Magnatibus, non ad-
modum repugro, sed absque Theologis il-
lud vix posse fieri puto: quod si pura E-
vangelii prædicatio, & integra Cæna
Domini, & Ministris Ecclesiæ permit-
tatur Conjugium, ut Paphnutius olim
in Concilio suasisit, stabiliri posse concor-
diam arbitror.

§. XCV.

Electoris Palatini sententia.

Posthæc Palatinus Elector verba fecit, *Sleid. p. 577.*
 multumque pronam Cæsaris volun-
 tatem deprædicans ita exorsus est: *Ra-*
tisbonæ colloquium recte fuisse inchoatum
arbitror, & si repeteretur, quæve con-
ciliata sunt dogmata, non disputentur
amplius, arbitror, de reliquis posse to-
lerabiliter convenire. Concordiam, in-
quit Granvellanus, valde Cæsar expetit,
ut antea non semel dictum est, ea nisi
constituatur, incommodo certe reipubli-
cæ fiet: & quamquam ex Imperio ne tan-
tillum quidem habet emolumenti Cæsar,
etsi valetudine quoque sit minus firma, ta-
men Germaniæ causa profectionem banc
fuscepit: cum Galliæ Rege, vel cum aliis
nihil

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

nihil habet occulti consilii, neque venit auxilia petiturus, verum ut in commune consulat omnibus. Cogunt manus atque copias tum Gallus, tum Britannus, quod valde suspectum est, deinde propter mortem Nurus habet, quod in Hispaniis agit Cæsar: verum his omnibus postpositis ad Comitia tendit, quod si nulli veniant eo Principes, quid solus efficiet? Clamatur subinde, & imploratur ejus intercessio, neque tamen ad locum deliberationi constitutum venit.

Circa postremum hunc articulum mox Landgravius sese excusavit, dixitque: *Ut ego Ratisbonam me conferam, fieri certe non potest propter sumptuum magnitudinem: est etiam litis aliquid Electori Saxonie cum Mauritio: quod cum ab utriusque Consiliariis componi non possit, ad me rejectum est, & ut componatur, permagni refert: Legatos tamen ad Comitia amplis cum mandatis mit-
tam.*

His dictis solutus est hic Conventus, paucis tamen post horis Navius Landgravio hæc nuntiavit: *Cæsari placuit colloquium hodiernum, & ut Ratisbonam tu ipse venias, iterum rogo, simulque exquiro, an Cæsarem eo die sub vesperum denuo convenire velis? Ad hæc Landgravius respondens oblatam
col-*

colloquii copiam lubenti animo accep-
tavit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. XCVI.

*Alterum Cæsaris colloquium cum
Landgravio.*

In altero hoc colloquio argumenta in *Sleid. p. 578.*
primo congressu agitata rursus discu- *Et seq.*
tiebantur, singularem tamen semper com-
mitatem ac benevolentiam Imperator
præfererebat, nec non per Navium Land-
gravio grates rependebat, quod tam ip-
se, quam Palatinus Elector animum ad
concordiam propensum exhiberent:
Posthæc Cæsar hæc subjunxit: „ Spe
„ fretus vivo, quod vestri Theologi rur-
„ sus Ratisbonam ad Catholicos sint re-
„ versuri, si vero illi, qui præsentibus ad-
„ sunt, vobis minus grati existunt, alios
„ nominabo, de cetero te rogo, ut ad
„ Comitiorum, si non ad illorum initium,
„ saltem exitum venire haud cuncteris. „
Ut vero Landgravium eo efficacius ad
accessum permoveret, eidem exposuit,
quod ipse propriis rebus suis postposi-
tis jam per integros tres annos in Ger-
mania unice hæreret, ut eam pacare
posset, quamvis ejus præsentia alibi op-
pido necessaria esset. Verum Land-
gravius prætextibus jam nuper allatis
rursus suam a Ratisbonensi Conventu
absentiam excusabat, & quantumcun-
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Mm que

Sæcul. XVI.
A.C. 1546. que illum Cæsar obsecraret atque obtestaretur, ipse tamen nihil se polliceri posse affirmavit: igitur a Cæsare dimissus Heidelbergam profectus est, inde ad suam ditionem reversurus: Cæsar vero interea recta Ratisbonam contendit. Eadem die prima Aprilis Protestantium Deputati WORMATIÆ convenerant, de summa rei consulturi, postquam autem Landgravius datis ad Saxonix Electorem literis eidem significaverat, quod SPIRÆ a Cæsare perbenigne fuerit exceptus, mox Deputati acceptis hisce Landgravii literis die vigesima tertia Aprilis Conventum solverunt, ut Ratisbonæ, quo alioquin brevi ad Comititia contendere jubebantur, de cunctis hisce negotiis deliberarent.

§. XCVII.

Papæ epistola ad Helvetiorum Episcopos.

Sleid. l. c. Die undecima Aprilis Papa datis literis Sedunensem & Curientem Episcopos, nec non quosdam Helveticæ ditionis Abbates ad Concilium generale Tridenti inchoatum invitavit; *Æquum enim est, inquiebat Pontifex, ut & vos qui Ecclesiam Helveticam representatis, imprimis eo veniatis: nam nationis vestræ populus valde mihi præ ceteris est*

carus, eo quod sitis tanquam peculiare si-
 lli Sedis Apostolicæ, & libertatis Eccle-
 siasticæ defensores: venerunt jam Tri-
 dentum valde frequentes Episcopi ex Ita-
 lia, Gallis, Hispania, & augetur quo-
 tidie numerus: itaque non est decorum,
 vos, qui estis vicini, a longinquiribus
 præveniri: gens vestra est non parva sui
 parte contaminata hæresibus, eoque ma-
 gis indiget Concilio: tarditatem igitur
 istam diligentia nunc resarciatis, & mox
 eo vos conferatis, omni postposita mora,
 nisi pœnam legibus præscriptam, & ne-
 glecti officii neque præstitæ obedientiæ
 crimen incurvere velitis, quam quidem
 obedientiam per jusjurandum Sedi Apo-
 stolicæ promisistis: cetera nuntiabit vo-
 bis Legatus, ac denique rogo, ut ei fi-
 dem habeatis (*). Attamen Helvetii
 Mm 2 Epi-

Sæcul XVI.
 A.C. 1546.
 Paul. III.
 lib. Brev.
 ann. 12. p.
 Extat hoc
 Breve apud
 Raynald. hoc
 ann. n. 57.

(*) Observes velim, quod epistola Pontifi-
 cis longe aliis concepta sit verbis, neque ullam
 anathematis mentionem faciat, ut videre est
 apud Raynaldum l. c. ex hoc autem probe co-
 gnoscet Lector, quam exiguam fidem iis, quæ
 Sleidanus pro suo arbitrio narrat, addit, demit,
 & immutat, habere possit, nequiquam vero ex-
 cusandus est Continuator, eo quod neglectis au-
 thoribus fide dignissimis maluerit ad putidos
 hæreticorum & malevolorum fontes recurrere,
 uti sunt Sleidanus, Paulus Sarpi, Thuanus &c.

LII.
 e obte-
 olliceri
 dimif-
 nde ad
 ar vero
 tendit.
 antium
 t, de
 autem
 Electro-
 quod
 rit ex-
 hisce
 rtia A-
 atisbo-
 a con-
 hisce
 Epi-
 cis li-
 em E-
 eticæ
 erale
 quum
 vos
 atis,
 s ve-
 s est
 ca.

Sæcul. XVI. Episcopi hisce Papæ rationibus parum
 A.C. 1546. commoti videntur, cum illorum potissimi
 in suis Dioecesibus permanferint.

§. XCVIII.

*Coloniensis Archiepiscopus a Papa
 anathemate percussus.*

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 7. c. 1. n. 1. & seq. Sleid. l. 17. p. 580. Thuan. l. 2. ad hunc ann. Cum vero Clerus, atque Universitas
 Coloniensis litem suam adversus
 suum Archiepiscopum magno studio ur-
 gerent, nec non iudicii acta contra il-
 lum Romæ incepta ad exitum deduci
 ardentem sollicitarent, hinc summus Pon-
 tificex die decima sexta Aprilis lata ana-
 thematis sententia illum, eo quod suæ sa-
 lutis immemor, contra regulas & doctri-
 nam Ecclesiasticam, & Apostolorum tra-
 ditiones, contra Christianæ Religionis
 consuetos in Ecclesia ritus atque ceremo-
 nias, contra Leonis X. censuram, adver-
 sus Lutherum atque socios editam, non
 uno modo peccarit, ab Ecclesiæ commu-
 nione submovet, & Archiepiscopatu ce-
 terisque Sacerdotiis omnibus, & privi-
 legiis, & facultatibus privat, & ipsius
 conditionis populo mandat in universum, ne
 deinceps ei pareant, jusiurandum etiam,
 quo sunt ei devincti, remittit, eique si-
 lentium imponit, & ut sumptum litis
 adversæ parti restituat, edicit.

Hac

Hac in caussa Colonienſibus erant Sæcul. XVI.
A. C. 1546.
 juncti Leodiensſis & Ultrajectinus Epi-
 ſcopi unacum Lovaniensſi Univerſitate,
 moxque hæc Pontificis ſententia Romæ
 menſe Auguſto typis fuit excuſa unacum
 alio Diplomate, vi cujus Papa præcepit,
 ut omnes Adolpho Comiti de Schwarzenburg,
 quem Archiepiſcopus tanquam Coadjutorem
 ſuum ſelegerat, obedientiam præſtarent. Verum
 Cæſar, quantumvis a Papa impenſe rogatus,
 hanc ſententiam ad effectum deduci noluit,
 ſemperque cum hoc Electore verſatus,
 eundem in ſuis literis Archiepiſcopi nomine
 decoravit (*), hac per motus cauſſa, eoquod
 bellum in Proteſtantes movere intentus,
 hunc Præſulem eo inducere ſtatuiffet, ut
 nullas illis ſuppeditas ferret, eorumque
 copiis tranſitum denegaret, juſſus, ut
 Cæſareis Belliducibus obtemperaret, ex
 cujus mandati obſequio maxima in Religionem
 utilitas redundaffet.

M m 3

§. XCIX.

(*) Hæc Continuator ex ſuo ementito Suavi
 deſloravit, quem tamen Pallavicinus l. c. con-
 futat, narratque, quod hic Archiepiſcopus In-
 ſulis exutus, ac Septemvirali dignitate, ſe-
 niumque indecorum agens, inter paternos op-
 pidi lares extinctus ſit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. XCIX.

Prima Synodi Congregatio post quartam Sessionem habita.

*Ex act. Mas-
sarell. apud
Raynald. ad
ann. 1546.
n. 61. & seq.
Pallav. c. 2.
n. 2. & 3.*

Interea Tridenti Synodus haud interrupto studio celebrabatur, moxque absoluta Sessione quarta alii Patrum confessus habebantur, in quorum primo die decima quinta Aprilis coactogebatur de emendandis Theologiæ Lectorum & Concionatorum abusibus. Hac occasione frequens erat Episcopos inter & Regulares contentio: prius tamen Legati eo fine Episcopos convocarunt, ut de ordine, quo argumenta in consultationibus discutienda pertractarentur, deliberarent: his præmissis iidem admonebant Patres, curandum esse, ut Sedes Episcopales Viris gravitate ac doctrina præditis conferrentur, qui in illis residere velint ac possint, nulli vero plures simul Ecclesiæ concederentur: opponebant tamen, *difficillimum id sibi usu venire, dum suæ jurisdictionis exercitatio a triplici hominum genere præpediretur, nimirum a Regularium familiis, a profanis Principibus, atque a Sede Apostolica.* Quod ad Regulares attinet, ajebant Legati, poterit cum illis aliquid apte componi, iique facile inter officii sui limites contineri.

vi. Quod vero spectat Principes profanos, Sæcul. XVI
A.C. 1546.
possunt innovari, seu graviores congeri
pæne sacrorum Canonum in sacræ juris-
dictionis violatores: sed quod ad Aposto-
licam Sedem pertinet, a Pontificis æqui-
tate medela pendet. Querelæ Episcopo-
rum in eo genere oriuntur ex nimis pen-
sionum oneribus, ex decimis frequenter
imperatis, ex Ecclesiasticis ad sacros Or-
dines indigne promotis, & a se antea re-
jectis, ex immunitatibus, quibus frue-
bantur Accolythi, Protonotarii, alique
privilegiis affecti, ex absolutionibus at-
que inhibitionibus Romanæ Penitentia-
riæ, ipsorum manus, ne flagitiosos com-
pescerent, inneentibus, sed potissimum
ex Sacerdotiis animarum procuracionem
complectentibus, quæ Aulicis confere-
bantur, ab ea procuracione longe degen-
tibus, eique obeunda sæpius ineptis &
bujusmodi munerum multiplicatione di-
tatis.

Mala insuper exaggerabant ex eo ge-
nere concessionum exorta, quas expecta-
tivas nuncupabant, quibus tunc erat lo-
cus, cum videlicet Sacerdotium primo va-
caturum in certa quapiam Diœcesi con-
cedebatur alicui, cum facultate capeffen-
dæ possessionis absque ullo Judicis man-
dato, ne concertandum cum Ordinariis
esset, sibi jus collationis tribuentibus.
Significabant denique, cum ceremoniæ,

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *piæque exercitationes sanctioris Hebdomadae ac Paschatis propius instarent, quindecim dierum spatium Patrum congressus intermittendos, seque ea ratione adductos indixisse futuram Sessionem die remotiori, quam alioquin indicta fuisset; unde se scripturos ad Pontificem aiebant, ut intra Paschatis Hebdomadam responsionem remitteret, quo ex luce per eam sibi communicata tutius cursum dirigerent ad habendas de abusibus quaestiones.*

Hisce communi omnium trium Legatorum ore prolatis Marcellus Cervinus adjunxit epistolam a se ad Cardinalem Farnesium die decima tertia Aprilis datam, in qua animadvertit, quemadmodum necesse fuerit cogi Synodum, quo ea orbis Catholici pars, quæ superest in Religione contineretur; ita pariter opus esse, accuratam morum ordinationem perfici, ut Episcopi ea contenti quamprimum illi finem imponerent; quod & universalis & peculiarium Ecclesiarum commoda postulant.

§. C.

Legati Romam missis ad Pontificem literis ejusdem consilium efflagitantes.

*Pallav. l. 2.
n. 8. & 9.*

Præmissis hisce consultationibus Legati Conventum habuerunt, in quo de abu-

abusibus conciones ac prælectiones spe- Sæcul. XVI.
 ctantibus, quibus in proxima Sessione A. C. 1546.
 consulendum esset, agebant. Hanc in
 rem datis literis Farnesio hæc significa-
 bant: *Animadvertimus in Synodi Pa-*
tribus concordem voluntatem agendi de
obstaculis, quibus Episcopi probibentur,
ne suis in Ecclesiis resideant: sed duo tan-
tum in deliberationem posse adduci cense-
mus, alterum, si post receptionem sacra-
rum literarum ac traditionum ageretur
de Conciliis, & Apostolicis constitutio-
nibus recipiendis: alterum, si ad truti-
nam vocarentur peculiaria dogmata ad
novas hæreses spectantia, initium ducen-
do ab originalis peccati dogmate, cui Re-
demptionis mysterium innititur, navata-
que deinde opera argumento Justificatio-
nis, buic malo medentis, & Sacramen-
torum, quæ ad eam acquirendam, con-
firmendam ac recuperandam sunt instru-
menta.

Postea Legati exponunt difficultates,
 quæ occurrerent, si prior quæstio per-
 tractaretur: Etenim, inquiebant ipsi,
 illa non modo erit Patribus minus grata,
 sed etiam minus opportuna, cum esset
 longissimi temporis opus, & infinitæ dis-
 sensionis fomitem præberet, possetque fa-
 cile offendi in aliqua turbulentiora inge-
 nia, quæ contentionem suscitarent de ex-
 celsiori auctoritate Pontificem inter &

Sæcul. XVI. Concilium, quam quæstionem Pontifex
A C. 1546 prudenter procul a Patribus arcendam
 jusserrat, ut schismatis periculum evita-
 retur. Altera etiam via, qua Patres
 ingressuri essent in dogmata, suis non ca-
 ret obstaculis, eoquod Cæsarei Episcopi
 hoc argumentum minime tangi, unice ve-
 ro morum emendationem urgeri, omni-
 no postulent, ne Protestantes adhuc ma-
 gis irritarentur.

§. CI.

Papæ responsum ad Legatos.

Pallav. n. 10. Summus Pontifex suum ad Legatos re-
 sponsum per cursores specialiter
 missum tanta celeritate deferri curavit,
 ut illud intra biduum jamjam Tridenti
 accepissent. In eo præprimis Legato-
 rum consilia summopere commendabat,
 de tribus tamen articulis eos commo-
 nefecit. I. *Cum hanc morum ac juris-*
ditionis reparationem potissimum inten-
dant Antistites, ea cautione rem Præs-
ides agerent, ut quodcunque periculum
procul haberent, ne Patres ea constituta
dilaberentur, vel segnius operam darent
fidei tractationi, in eo fortasse votis
Principum obsecundantes; quandoquidem
dogmatum Decreta videbantur Ecclesie
confirmationi adeo necessaria, ut illorum
præcipue gratia Concilium fuisset con-
stitutum.

Etum. II. *Ut, dum removerentur obstacula libero jurisdictionis Episcoporum exercitio, ab Apostolica Sede, ejusque Administris injecta, una pariter consuleretur iis impedimentis, quæ a profana potestate inferebantur, quo curatio foret integra, & pars quælibet intra fines officii contineretur.* III. *Ut, quemadmodum Pontifex consenserat, ne illius partis emendatio, quæ proprie proximeque sui muneris erat, absque Synodi sententia decerneretur, ita similiter Synodus satius haberet, nihil in eo absque consensu Pontificis definire.*

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Acceptis hisce Papæ jussis mox decretum fuit, quod præprimis de concionibus ac prælectionibus ageretur.

§. CII.

Pachecus in quadam Congregatione de Theologo inter Canonicos instituen- do mentionem faciens.

Habita est die secunda Maji quædam *Pallav. c. 4.*
Congregatio, in qua de pluribus ^{n. 2.}

Decretis proxime condendis agebatur, unde in Ecclesiæ disciplina non pauca fuere immutata. Præprimis Cardinalis Pachecus ita perorabat: *Videtur mihi, Patres, quibus ea cura demandata, accuratius in recensendis abusibus se gessisse, quam feliciter in remediis excogitatis.*

tatis

Sæcul. XVI.
A.C. 1546. *tandis: illa, quæ proponebantur, fuerunt jam a Lateranensi Concilio sub Innocentio III. adhibita, sed improspere fructu. Multi censent, quo Ecclesiastici sacris doctrinis imbueantur, certum statuendum proventum, quem Theologalem præbendam appellant, hujusce rei procuratione Episcopis injecta; at pene insperabilis existimatur. Decreti executio, ubi ea executori delegato est obfuturæ, & tamen hujusmodi proventus fundari non potest absque aliquo Antistitum dispendio: opportunum præ cunctis erit, rogare Pontificem, ut in qualibet Diocesi destinaret huic ministerio Sacerdotium primo vacaturum, quodcumque illud esset. Innumera pariter fidelium offensiones oriuntur ex Quæstorum Concionibus, præsertim ob privilegia Cruciatæ, ut vocant in Hispania; proinde lege cavendum erit, ne quis eo munere fungatur, nisi habito examine ab Episcopo ad id comprobatus.*

Pluribus, præcipue vero Canariensi Antistiti hæc Pacheci sententia probabatur: alii vero Religiosorum exemptiones aboleri vehementius urgebant, ex adverso autem Legati cuncta Regularium, ac præprimis Fratrum Mendicantium, ac Universitatum privilegia omnino intacta esse servanda propugnabant,

bant, quæ res tamdiu ultro citroque fuit Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
 agitata, ut coetus die decima Maji ha-
 bitus usque ad vesperam protraheretur,
 quin tamen quicquam decidi posset, nec
 tamen longior hæc mora Legatis mo-
 leste accidit, cum exinde amplius Pon-
 tificis jussa præstolandi spatium nanci-
 ficerentur.

§. CIII.

Fesulani Episcopi opinio.

Postquam Theologorum, Jurisque pe- Pallav. l. c.
Raynald. hoc
ann. n. 61.
 ritorum opiniones, quas illi in prio-
 ribus Congregationibus proponere ju-
 bebantur, non nisi summam ob nimiam
 earum prolixitatem prælectæ fuerant,
 Fesulanus Episcopus sede sua surgens
 scriptum quoddam a se elucubratum con-
 tra Regulariam exemptionem animo
 magis exacerbato recitavit. *Religione*
adigor, inquiebat ipse, *ut Patrum con-*
sessui exponam, quod Episcopi muneris
sui sint memores, quod si præstarent,
eveniret utique, ut mercenariis ad id non
indigerent. Acerbe angor, quod liberum
fit Regularibus, neque missis, neque vo-
catis, suis in Canoniis per Episcoporum
Diœceses concionari. Postea exclama-
 vit: *Quidnam hoc est aliud, o Patres,*
nisi permittere, ut lupi non per ostium,
sed aliunde ingressi ovile perturbent?
 Dein eosdem per Deum ac Superos ob-
 se-

Sæcul. XVI. secrare non destitit, ne id paterentur :
A.C. 1546. *Si id facere remueritis, prosequeretur,*
pro virili parte mea causam sustentabo,
provoco autem ad cæleste Tribunal, apud
quod contestor, me insontem in eo esse, &
super vos populorum crimen ac Sanguinem
abiturum.

Priusquam vero ad supremos Ordinum Præfectos ordo jusque dicendi pertingeret, Episcoporum nonnulli, qui magis de Religiosorum instituto, quam de sua tiara erant solliciti, in Monachorum patrocinium perorabant, atque inter eos Thomas Caselius ex Ordine Fratrum Prædicatorum Britinoriæ in Romandiola Episcopus hunc in modum effatus est: *Omnes reminiscamur oportet, Romanum Pontificem universi Christiani gregis Episcopum esse, & unumquemque nostrum in partem sollicitudinis solum vocari, prout sacri Canones loquuntur, perinde non minus intrat per ostium legitimum Ovilis, quicumque in Diæcesim aliquam a Pontifice mittitur, quam qui ab ejusdem Diæcesis Episcopo peculiari mittitur. Ne conquerantur Antistites id, quod ipsorum vitio contigit, non injusta Regularium usurpatione. Illi si docendi, si concionandi munus explevissent, bi in solitaria sua quiete se plane continuissent divinis occupati laudibus, intentique placando sibi, aliisque Deo per voluntaria*
 cor-

corporis animique supplicia. Nostra so-
cordia, ne dicam, ignorantia, ab Apo-
stolica Sede privilegia Regularibus impe-
travit: ipsi totum nostri ministerii pon-
dus sustinent: nos proventibus, nos illius
bonoribus fruimur, & tamen conqueri-
mur.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

Hisce Caselii dictis totus Patrum
confessus applaudebat.

§. CIV.

*Primi Legati responsum ad Caselii
orationem.*

Hujus Præsulis orationem excepit
Præsidium primus, habitaque ra-
tione ad ea, quæ Pachecus Cardinalis
nuper proposuerat, exposuit, quod fa-
tius foret illi negotio, quod præ mani-
bus versatur, nunc operam dare; his
dictis idem sermonem ad Fesulanum An-
tistitem convertit, atque illum his ver-
bis alloquebatur: *Qui divinum ad judi-
cium provocant ob gregem sibi concredi-
tum, cum ab externis abripitur, cur ani-
mo non reputant, a Regularibus illorum
partes explevi ab ipsis neglectas? si vero
Pontifex familias adeo de Ecclesia bene
meritas privilegiis exueret, illæ conti-
nuo concionandi laborem desererent cum
ingenti fidelium detrimento.* Postre-
mo hæc subjunxit: *Vos, Patres, ad*
id

Pallav. n. 5.
Fra Paolo
hist. Conc.
T. id. l. 2.
ad hunc ann.

Sæcul. XVI. *id selecti studete Decreta conficere ex ma-*
A.C. 1546. *joris partis sententia.*

Referunt nonnulli, quod Legati a Fe-
 sulano Episcopo exemplar orationis,
 quam is declamavit, postularint, illud-
 que tanquam seditiosum libellum Ro-
 mam transmiserint, summoque Pontifi-
 ci suggererint, haud abs ratione procu-
 randum esse, ut hic Episcopus Tridento
 facebat, atque Clodiensis Episcopus illi
 haud absimilis, cum adversæ valetudi-
 nis suæ obtentu recessisset, non amplius
 illuc revertatur. Attamen Pontifex
 circa ambos hosce Episcopos respondi-
 se dicitur, se suo tempore ac loco op-
 portuna daturum remedia. Ceterum,
 ut res se habuerit, id certum est,
 quod Legati interrupta hac Congrega-
 tione aliam ad diem decimam octavam
 Maji indixerint.

§. CV.

*Alia Congregatio de danda Regula-
 ribus facultate prædicandi &c.*

Pallav. l. c.
6. 4. n. 7.

In hac Congregatione Massarellus, qui
 Synodi Patribus a secretis erat, cuncta
 in aliis congressibus proposita Cervino
 ac Polo præsentibus recensuit, ubi præ-
 primis norma proponebatur cujusdam
 Decreti, quo statueretur, quod Regu-
 laribus alibi quam in Ordinis sui Eccle-
 siis

fuis absque Generalium suorum ac Epi-^{Sæcul. XVI.}
 scoporum licentia Verbum Dei annun-^{A.C. 1546.}
 tiare non permetteretur, imo nec in pro-
 priis eorum Ecclesiis id illis liceret, abs-
 que Generalis facultate ab Episcopo re-
 cognita, & approbata. Præterea de-
 cernebatur, quod insuper habitis eorum
 privilegiis, si cum offensione populi
 quicquam proferrent, ab Episcopo inter-
 dicti poena coerceri valerent: si autem
 doctrinam omnino hæreticam trade-
 rent, itidem Episcopi esset, illos repri-
 mere. Posthæc agebatur de sacræ
 Scripturæ prælectionibus, quæ dein-
 cept in Universitatibus ac Monasteriis
 fierent: nec minus exponebantur
 querelæ, quas Lusitanæ Regis Legatus
 contra Synodum deferebat, eo quod hæc
 ad hujus Principis literas responsum da-
 re distulisset, quæ mora forte ansam
 præbuit, ut Rex suos Legatos eo decer-
 nere cunctatus esset. Ad hæc Legati
 responderunt, responsum jamjam in
 promptu esse, se tamen illud transmitti-
 re ex eo præpediri, quod Synodi approba-
 tio deesset.

§. CVI.

*Sententia Cardinalis Paceci de Epi-
scoporum residentia.*

Cardinalis Montanus, ut prætermisiss *Pallav. c. 4.*
 futilibus hisce quæstionibus ad rei n. 10.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Nn sum-

Sæcul XVI. summam pertingeret, Paceci sententiam
A.C.1546. rogavit circa ea Decreta, de quibus in
 prioribus Congregationibus inter Pa-
 tres conventum erat. Ad hæc respon-
 dit Pacecus: *Summa emendationis mihi
 videtur sita in Episcoporum suis in Diœ-
 cesibus residentia, docendi & concionandi
 gratia: illud enim est onus ipsis imposi-
 tum: indulgentius ab aliquibus pronun-
 tiatur, eos ad concionandum Jure divino
 minime adstringi; aliter Apostolus lo-
 quitur, tum ubi ait: Necessitas mihi
 incumbit; vae enim mihi est, si non e-
 vangelizavero; tum etiam alibi, ubi pro-
 fitetur, Apostolos missos ut Doctores
 & Pastores: Non quidem munus genera-
 tim concionandi, sed temporis præscri-
 ptio ab humanis legibus pendet. Itaque
 de stabili in Diœcesi Antistitem mora ve-
 teres Canones instaurandi sunt, eaque de-
 nuntiata etiam proventuum jactura, ali-
 iisque opportunis remediis firmanda est,
 & ubi tandem contumacia diuturnior e-
 rit, illi vel Episcopatu abdicandi sunt.
 Cum primum Pampelonenses Insulas ac-
 cepi, audiveram, illic ab octoginta jam
 annis illius urbis Antistitem nunquam
 fuisse visum, eo quod semper unus ex Pur-
 puratis eam sedem habuisset. Quod ad
 docendum concionandumque spectat, ro-
 gandus est Pontifex, ut Viris doctis tiri-
 ras imponeret, qui ut idonei, perinde quo-
 que*

que ad hæc munia sunt proclives. De ce. Sæcul. XVI.
 tero probatur mihi, prout propositi De- A C. 1546
 creti tenor habebat, ut in Cænobiis, ubi
 commode possêt, sacrarum literarum
 prælectio instituat; Regulares vero,
 uti pariter Decretum sanciebat, si quid
 hæreticum concionibus immiscuerint, ab
 Episcopis puniantur, quantumvis nescio,
 quod privilegium a Franciscanis, ut au-
 dieram, dictitatum obstaret.

§. CVII.

*Dissensio inter Præsidentem & Cardi-
 nalem Pacecum.*

Ad hanc Paceci orationem Præsides hæc *Pallav. n. XX.*
 reposuit: Hæreo, & quid in tanta
 opinionum varietate statuendum, nescio,
 nisi de integro suffragia paucis expressa
 proferantur; Decreta vero pro eo, ac
 plerique sentient, conformata universo
 cætui exponantur, ipsius Synodi iudicio
 corrigenda & reconcinnanda. At contra
 Pacecus admonuit, ea ratione duo
 commoda præpediri: alterum, ne unacum
 opinionibus rationes pariter cognoscere-
 tur, quod perinde esset, ac animata cor-
 pora intueri, non emuncta cadavera: al-
 terum, quod pendeat ab altero, si Patres
 suam quisque per se sententiam plane de-
 clararent, interdum fieri possêt, ut alio-
 rum audita sententia discederent a sua,
 que

Nn 2

quod

Sæcul. XVI. *quod neutiquam evenisset, ubi uerba sin-*
A.C 1546. gulorum placita colligerentur, ac refer-
rentur.

Verum Montanus Cardinalis, cum rem adeo præcipitari nollet, nequaquam Paceci sententiæ suffragabatur, hic quidem Montano exponebat, quod sint quidam ex Patribus, ac inter eos Cavenfis, Bituntinus, alique, qui nondum sua suffragia tulissent, suamque mentem prius exponere cuperent, ut proin illis ejusmodi libertas denegari haud possit, nihilominus Præses nil aliud respondit, nisi ad ea esse transeundum, quæ in proxima Congregatione agitanda forent^(*).

§. CVIII.

*Aliæ rationes a Fesulano Episcopo
 propositæ.*

Posthæc Fesulanus Episcopus quædam, quæ proponeret, sibi esse significavit, cœpitque prolixam dicere orationem, verum Pacecus, quod ipse suscitatus tumultus auctor haberetur, animad-

(*) Cum Continuator totus in eo esset, ut Legatos Pontificios insimulet, perinde ac si Patribus suas sententias proferendi libertatem ademissent, hinc de hac Præsidis pertinacia mentionem inspergere præsumpsit: cum tamen Pallavicinus ab

Sæcul. XVI.
A C. 1546.

vertens, cupiensque, se ab hac labe liberare, perorantem interruptit, petitque a Legatis, ut ipsi ex Fesulano sciscitarentur, an de eodem dicturus esset argumento, de quo jam in præterita Congregatione disputaverat. Negavit ille, moxque sermonem suum profecutus ita effatus est: *Valde miror, Præsules ad hanc Synodum convenisse magnis sumptibus & gravibus incommodis, & tamen ipsorum sententias ne libertatem quidem obtinere, sed violenter privatos inter cætus velut inter custodias coarctari: expergiscantur tandem Antistites, ac confiderent, quam inique cum ipsis ageretur, quam studiose daretur opera ad minuendam eorum auctoritatem injunctis legibus, & rem familiarem impositis sumptibus: per nova semper privilegia subditi attolluntur, per novas decimas Episcopi deprimuntur: quid tandem ipsis reliquum fiet, nisi inane nomen Episcopi? quomodo tolerandum, haberi conciones a Cænobitis in ipsorum Diæcesibus, non petita ab Episcopis facultate, nulla habita*

Nn 3

bo-

eo citatus oppositum referat: *Quare, inquit ille, utrique & cuicumque volenti potestas loquendi facta, sed hi ambo nihil sibi addendum suppetere responderunt, ut qui cætibus privatis interfuissent, ibique abunde sententiam dixerint.*

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *bonoris declaratione Infularum dignitati, sed ea ratione, quam propositum Decretum præscribebat, ut nihil amplius juris relinqueretur Episcopis, præterquam ut chirographum, signumque religiosorum Præsidium agnoscerent? Confectum est quidem Decretum plurimis vocibus consulto ambiguis, sed nihil sub ea implicatione tandem reperitur, quod Antistitum jurisdictionem restauraret: ubi illud a Patribus comprobabitur, perinde erit, ac si consentirent, ut ipsi deprimerentur, & Regulares audentiores evadent ad confidentius spargendum, uti solebant, venenum inter ipsorum ovilia. Equidem convocati sunt a Pontifice Patres ad expurgandam Ecclesiam corruptelis, & tamen in hoc Decreto corruptelarum omnium sentina adhuc continetur: a delectis Censoribus fuit inter graves corruptelas connumeratum, quod Verbum Dei a veris & ordinariis Administris, hoc est, Episcopis & Curionibus, per Canones & documenta neutiquam exponatur; hujusmodi tamen abusus non aboletur, sed confirmatur a proposito Decreto. Nolo diutius immorari in enarrandis scandalis, quæ istorum opera populorum animi frequenter passi fuerant: hoc unum satis; ab ipsis cuncta Episcoporum munera occupata, solos e suggestis Evangelium explicare; solos e sacræ Confessionis tribunalibus ani-*

mos fidelium regere, susdeque omnia per-
vertentes. Ergo in Jesu Christi nomi-
ne, cujas vices in terris geritis, vos ip-
sos in pristinam auctoritatem restituite,
ingentem illam rerum perturbationem a-
moliimini, quæ unitatem Ecclesiæ contra
jus fasque humanum atque divinum in
partes discindit. Dein ad Legatos con-
versus, duos priores sic admonuit: Vos
ipsi quoque meri Episcopi quondam fui-
stis, & nunc pariter Episcopi estis; pro-
inde vos decet sacrosancti Ordinis digni-
tatem non imminuere, sed augere.

§. CIX.

*Primi Legati responsum ad hujus
Episcopi orationem.*

Cardinalis Montanus, cum hujus Præ-
sulis orationem non sine fastidio per-
ciperet, tantamque illius temeritatem
plectere percuperet, ab eo sciscitabatur:
Num firmiter persistat in provocando ad
Dei tribunal, ut in superiori cætu pro-
vocaverat? Ad hæc Fesulanus respon-
dit: Cum a Legatis fuerim privatim ad-
monitus, perinde quasi hujusmodi provo-
catio, facta cum pertinacia, hævesim sa-
peret, plurimas vobis gratias profiteor,
simulque declaro, me in eam sententiam
hæud locutum; & utcunque id esset, se-
cundum eam significationem mea dicta re-

N n 4

voco,

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *voco, cum utique habuiffem in animo eorum move loqui, qui coram Deo conscientiam suam exonerant ob res ab aliis gestas sibi non probatas. Postea illum rursus interrogabat Montanus: An existimaret, quod etiam pronuntiarat, Episcopos Christi vicem in terris gerere, Ita plane, respondit, existimo, donec mihi oppositum non ostendatur. Demum Archiepiscopus Armacanus ad hujusce dicti defensionem adjecit, posse Episcopos Christi Vicarios in absolvendi munere, aliisque functionibus nuncupari; non tamen Vicarios generales, qualis est solus Romanus Pontifex; illos enim duntaxat in partem sollicitudinis advocari.*

Suspiciabantur nonnulli, Fesulanum Episcopum ad tantam dicendi audaciam a Paceco fuisse stimulatam: cum vero acriores ejusmodi contentiones Legatis summopere displicerent, Cardinalis Polus animos sedare intentus, hæc subjunxit: *Multa quidem de munere Episcoporum probe fuerunt a Fesulano adducta, sed per seditiosam potius concitationem, quam per sedatam orationem, & more hominis, qui acerbius in alium invehitur, quam qui libere sententiam dicit. Complura ejus effata sibi mutuo adversantur; modo ad deprimendam Concilii auctoritatem tendit, ab eo tanquam injusto ad Dei tribunal provocando, simulque im-*
pro-

probando, insigniri Decreta nomine Legatorum, a quibus Concilium potestatis suae nervos excipiebat: modo eidem extollendo studet, contendendo, antiqua Episcoporum jura illius potestate recuperare, per eam pariter occasionem, dum in Regulares invehebatur, ut Episcopis auctoritas pristina redderetur; quo pacto eidem ipsi non occurrit, eadem opera se conniti, ut Episcopis pariter Administros subtraheret? Utinam fuisset Deo collibitum, ut Episcopi suo munere per se ipsos defungi possent! longe siquidem feliciter floreret Ecclesia. Desistat proinde hic Episcopus ab hujusmodi declarationibus, non nisi ad inflammandas discordias, seditionesque suscitandas opportunis.

Ast Fesulanus Episcopus mox Polo respondit, tacere non potest ille, qui se spoliari agnoscit. Verum primus Legatus, cum hujus Congregationis exitum optato successu destitui pertimesceret, dixit, quod propter adversam Cervini Cardinalis valetudinem haud liceret Conventum diutius protrahere.

§. CX.

Papa de cunctis hisce diffidiis per Legatos certior factus, ejusque responsum.

Alter die Legati literis Romam missis Farnesio Cardinali cunctas significava-

Nn 5

fica-

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

Sæcnl. XVI. ficarunt contentiones, quæ Episcopos
 A. C. 1546. inter & Regulares circa horum privile-
Pallav. n. 13. gia in elapsa Congregatione fuerunt ex-
 p. 641. ortæ: Præprimis igitur hæc expone-
Lit. Legat. bant: „Cum inter utramque partem æ-
ad Farnes. „gre concordia iniri possit, hinc quid con-
II. & 15. „sili caperemus, ignari summum Pon-
Maji 1546. „tificem rogamus, quatenus nobis præ-
 „scribere velit, quam agendi rationem
 „in hac rerum vicissitudine tenere de-
 „beamus: de cetero satius fore cense-
 „mus, quod Fesulanus ac Clodienfis
 „Episcopi tanquam tumultuum aucto-
 „res revocentur, ut major deinceps pax
 „& unio servari valeat. „ Verum sum-
 mus Pontifex Legatis hæc perscripsit:
 „Moderate agendum est cum utroque
 „Episcopo, satisque erit, si privatim
 „corripiantur, nec ad alia remedia pro-
 „gredi nunc consultum est, ne suam men-
 „tem aperiendi libertatem Patribus ad-
 „mi, vulgus credat: monendi tamen
 „sunt, ut in posterum majori utantur
 „moderatione; facile enim per univer-
 „sam Ecclesiam schisma introducere-
 „tur, si major pars Religiosorum, qui a
 „populis in summo ubique honore ha-
 „bentur, fidelium solatio adimeretur;
 „quicquam tamen Episcopis deferre, æ-
 „quitas petit, hinc re ad decisionem ma-
 „turata Quæstores reprimi, ceteri autem
 „Religiosi foveri debent, nec quid in eos
 „in-

„inſciis illorum Generalibus decidere
 „decet, caute inſuper procedendum, ne
 „ea, quæ Episcopis concedentur, pri-
 „vilegiis Regularium atque Univerſita-
 „tum derogent. „

Sæcul. XVI:
 A. C. 1546.

§. CXI.

*Italice Episcopi a Cardinale Montano
 ad tuenda Religioſorum privile-
 gia ſollicitati.*

Cum Cardinalis Madrutius, utpote
 Tridento a Cæſare in Germaniam
 ire juſſus, poſtremis congreſſibus haud
 intereſſet, hinc Cæſareorum Præſulum
 numerus decreſcebat, quamvis Pacecus
 eorum auctoritatem tueri totis viribus
 adlaboraret; ruruſ enim cum Synodi
 Præſide in contentionem venit, Legatis
 exprobrans, quod ſibi ſuffragia excipien-
 di ac colligendi poteſtatem attribuerent.
 Paceco etiam Aſturiceniſis Epicoſopus
 ſuffragari videbatur. Porro primus Le-
 gatus accepto Pontificis reſponſo Italiae
 Epicoſopos hortabatur, ut Sedis Apoſto-
 licæ jura, quorum auctoritatem reſtri-
 ctis Religioſorum privilegiis periclitari
 dicebat, ſtrenue tuerentur; cum ad-
 modum periculoſum ſit, tot homines li-
 teratos offendere, & hiſ quidem tempo-
 ribus, ubi eorum opera ad debellandos
 hæreticos tantopere neceſſaria eſt. Hiſ
 ad-

Sæcul. XVI. addidit: *Nullam prorsus querendi ansam*
A.C. 1546. *habent Episcopi, postquam eis concessa est*
facultas Prædicatores Religiosos approban-
di vel rejiciendi, quando hi extra Monaste-
rii sui Ecclesias concionantur; si vero in illis
conciones habent, ipsis injungi poterit, ut
Præsuli debitum obsequium, implorata prius
ipsius benedictione præstent. Insuper data
est Episcopis in Prædicatores hæreticos ani-
madvertendi potestas, iis vero, qui vitæ im-
puritate aliis offensionem sunt, concionandi mu-
nus interdicare poterunt: his igitur nunc ac-
quiescendum esset, cum progressu temporis
alia Episcopis in dies addantur.

§. CXII.

Episcopi hujus Legati rationibus
expugnati.

Pallavicin.
c. 4. n. 20.
sub finem.

Hisce primi Legati rationibus Episco-
 pi, aliarumque plurium Nationum
 Præsules cesserunt, atque inter eos ipse
 etiam Fesulanus, qui Romanæ Curiae
 indignationem veritus, palam contesta-
 tus est, quod cuncta, quæ huc usque
 asseruisset, haud pravo ex animo procef-
 sissent, vitæque suæ, quam hucusque
 duxisset, integritas innocentiae suæ te-
 stis foret: quapropter Episcopus Aqi-
 natensis, pluresque alii pro eo tanquam
 gravis sceleris reo deprecabantur, et si
 insuper habitis eorum precibus Legatus
 pe-

petitam eidem veniam nec concedere, nec denegare vellet, eoquod hac super re literas Romam dedisset, summusque Pontifex in responso nuperrime dato hunc æque ac Clodiensem Episcopos, si ita eidem bene visum fuerit, revocandi libertatem sibi reservasset. His compositis Legatus ad modum, quo sententiæ de Decretis recipiendis rogandæ forent, processit, quamvis vero hac in re non eadem omnium esset opinio, cum quidam hæc Decreta libertati in Synodis requisitæ adversari caussarentur, alii vero ceterorum sententiæ cedendum existimarent, nihilominus unanimi ferme suffragio hæc eadem Decreta fuere approbata.

§. CXIII.

*Trevirensis Archiepiscopi Procurator
Tridentum veniens.*

Posthæc de aliis agebatur argumentis, & præprimis inter Patres agitatum, an inter Ordines Monachorum Latina sacrarum literarum prælectio in Cœnobiis esset instituenda, & an hæc reliquis præferenda? quorum utrumque univ-
Pallav. hist. Trid. lib. 7. c. 5. n. 2.
 sum fuit approbatum, addebant tamen nonnulli, id probe fieri posse, dummodo eorum leges haud obstarent. Verum inclinata jam die tres Montis Casinensis Abbates petierunt, ne quid hac
 su-

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

Sæc. XVI. super re decerneretur usque ad proximum confessum, in quo ipsis quoque suam sententiam proferendi opportunitas daretur. Hæc dum interea gerebantur, Ambrosius Pelargus Dominicanus, Trevirensis Archiepiscopi Procurator, ac insignis doctrinæ Theologus Tridentum venit, eique tanquam Consiliario, non vero velut Judici, concessa est sententiam suam dicendi facultas, locusque eidem assignabatur secundus a Claudio Jajo, qui Augustani Cardinalis vices agebat, proin proximus sedebat post Episcopos, præcedebat tamen Abbates ac supremos Ordinum Præfectos. Ergo tanquam Theologus jamjam in proxima Congregatione suffragium suum ferebat in proximo Patrum confessu, ubi quidam Montis Cassinensis Abbas mire commendabat, cunctis Monachis sacre Scripturæ prælectionem perpetuo injungendam, eo quod huic sacro studio tam assidue, tamque fructuose veteres illi sanctissimi Monachi operam navassent; ut vero etiam Religiosi eidem fideliter incumberent, hæc verba: *omissis Scholasticorum cavillationibus*, Decreto esse addenda agebat, cum alias ejusmodi prælectiones inter Monachos persæpe discordias parerent, ac proin potius longe a Monasteriis forent amovendæ.

§. CXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.*Dominici Soto oratio in favorem
Theologiæ scholasticæ.*

Quemadmodum Abbas ille Cassinen-^{Pallav. n. 3.}
 sis eruditione ac scientia insignis
 Theologiæ scholasticæ studium depri-
 mēre videbatur, ita Dominicus Soto ex
 Ordine Fratrum Prædicatorum a summo
 Ordinis sui Præposito delegatus, illoque
 ævo in scholasticis disciplinis nulli se-
 cundus prolixum habuit sermonem, in
 quo scholasticæ Theologiæ studium Re-
 ligiosis omnino permittendum esse, de-
 monstrare fategit, Patresque hortatus
 est, *ne sacras literas interpretandi mu-
 nus promiscue Monachis imponerent;*
*quippe qui diuturnis precibus, meditatio-
 nibusque obligati, vel nimium gravaren-
 tur, vel a veteri institutione abduceven-
 tur, ubi sacrarum literarum studium eis-
 dem injunctum foret;* quod Carthusia-
 norum exemplo præcipue confirmavit.
*Potius igitur, inquit, labor bujusmodi
 Mendicantibus relinquatur, quorum est
 & scholas & conciones habere.* Postea
 acriter & copiose peroravit, *ne sacra-
 rum Scripturarum exedris supremus lo-
 cus destinaretur;* divina enim oracula
 non possunt penitus sine acumine schola-
 stico penetrari: hoc autem studium cavil-
 los

Sæcul. XVI. *los appellant ii, qui ex ingenii bebetudine illud percipere non valent, tenebrasque nominant eam lucem, a qua sentiunt oculorum imbecillitatem sibi perstringi, aut illi, qui sinceram ab adulterina Scholastica non secernunt, adeoque disciplinam universam debonestant nomine partis minus quidem propriae, sed copiosioris, magisque sibi experimento compertæ: res quo pretiosior, eo frequentius adulteratur. Eadem ratione possêt pariter posthaberi inter externas divitias adamas sabbivo, & aurum ari, quod ea sæpius simulentur, atque inter animi opes despicienda forent universim sapientia ac sanctimonia, quod sæpe earum specie fastus & hypocrisis lateant. Quid tandem est scholastica, nisi ea disciplina, quæ simul conjungit duo lumina homini a Deo indita, Naturæ videlicet ac Fidei; quorum alterum sæpe cum altero fæderatum, nunquam certe illi adversum se habet, & utroque sibi affulgente, quam altissime potest, subit divina mysteria, & prava divini Verbi interpretamenta dispellit? Hæretici in Scholasticam odium capitale profitentur; ea quippe Sol quidam est, qui eorum spectra dissolvit: illi obtrectare perinde est, ac fædus cum Protestantibus inire, & Ecclesiam validissimo armamentario spoliare.*

Hæc Dominici oratio de utilitate scholasticæ Theologiæ omnium applausu fuit excepta, ac potissimum sententia eo abibat, quod sacræ, Scripturæ studium Monachis sufficeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

§. CXV.

Alia Congregatio de prædicandi facultate Regularibus concessa.

Die vigesima prima Maji habita est Congregatio, in qua Patres ad alia Decreta progredientes præcipue de eo agebant, vi cujus Episcopi ipsimet ad populum dicere jubebantur. Hanc in rem Pacecus admonuit: *Archiepiscopos pariter ac Primate esse nominandos, ne ipsi caussarentur postea, se in odiosis legibus communi Episcoporum nomine haud comprehendendi: præterea appositam ibi particulam eradendam, qua declarabatur, licere Episcopis etiam ex scripto id agere; tam enim disertam concessionem nimis tenuem præferre opinionem de ipsorum peritia, agebat.*

Placuit Patribus Paceci sententia; nihilominus contra hujus Cardinalis opinionem plerique judicabant, nullatenus delendam esse poenam illis impostam, qui huic muneri non satisfecerint. Idem quoque Pacecus censebat, Paro-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. O o chis

Sæcul. XVI. chis concedendum, ut Regularibus concionandi facultatem in suis Paræciis darent. Verum hæc opinio vehementer impugnabatur, aliis pronuntiantibus, instaurandam esse Adriani VI. Pape Constitutionem, vi cuius Religiosi absque Ordinarii licentia ad populum dicere prohibentur: ast huic sententiæ acriter obstitit Pacecus, parique studio Seripandus Regularium privilegia propugnabat: opportune etiam Britannoriensis Episcopus Patribus hæc exposuit: *Revolverent animo, quam pauci Episcopi ac Parochi idonei ac propensi forent sanctissimo concionandi muneri: antea quidem facultatem ad id sibi compararent, & postea in deliberationem afferrent, an Regularibus abroganda privilegia: Sunt certe, prosequeretur Antistes, prima decora Episcopis restituenda; sed pristina ac vera ipsorum decora fuere, ut cum sacco pro indumento, & cum baculo leæticiæ loco incederent ad Evangelium prædicandum; non ut vestium pompam per opulentiam ostentarent, neque ut pinguescerent, seu potius per otii vecordiam intumescerent. Utcunque se res habet, Concilii non est privilegia Romanorum Pontificum abrogare.*

§. CXVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.*Decretum circa potestatem prædican-
di Regularibus concessam.*

Hæc oratio non sine animorum con- *Pallav. n. 15.*
tentione impugnabatur, tamque
acriter disputantium ardor effervesce-
bat, ut Caselius hanc opinionem tan-
quam hæreticam traduceret, pluresque
Episcopos ad suas partes pertraheret:
probe autem Fabius Mignanellus, Lu-
cernensis Antistes, prius in Germania A-
postolicæ Sedis Nuntius, ac postea Car-
dinalis observavit, quod Adriani VI.
Constitutio non generatim loquatur, sed
ad solam Germaniam coarctetur, ac ne
ibi quidem usu comprobata sit: cum
autem quivis suam sententiam tueri in-
tentus esset, ac magis magisque con-
tendentium animi accenderentur, nec
concordiæ spes affulgeret, hinc Monta-
nus Cardinalis Decretum hoc modo
temperandum proposuit: *Religiosis ex-
tra ipsorum templa minime liceat concionari
absque Episcoporum facultate, at vero pro-
priis in eorum Ecclesiis opus ipsis non est alio-
rum, quam suorum Præsidum facultate.* E-
quidem supremi Ordinum Præpositi ac
Regulares hac decisione parum con-
tenti videbantur: Cedebant tamen
cum illis exponeretur, quod talia Epi-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. scopis attribuere æquitas, ac omnimoda necessitas suaderet, cum Regulares sua privilegia nimium extendissent, ac nunquam decentiæ limites excessissent; de cetero autem Episcopis quoque graviter inculcandum statuebatur, quatenus & ipsi erga Religiosos sese ita gererent, ut hi nullam querendi ansam habeant: cum autem Fesulanus, Aquinatenfis & Calaritanus Episcopi Decretum ita temperatum nimis adhuc Regularibus favore censerent, sibi haud imperare poterant, quin hoc Decretum ipsis minus probari testarentur, verum nil propterea in hoc Decreto fuit emendatum (*).

§. CXVII.

Controversiæ circa residentiam Episcoporum.

Pall. c. 6. n. 1. **D**ecretum illud, quo Episcopos ad conciones per se ipsos habendas adstringi declaratum fuerat, occasionem Paceco suppeditabat, ut palam assereret,

(*) Rursus summa Continuatoris incuria deditur, cum ex Scriptoribus sine omni delectu, ac circumspicione quævis obvia describat: in hoc loco ex Pallavicino hanc contentionem enarrat, ac Decretum adeo temperatum æque Fesulano, ac Calaritano & Aquinatenfi Episcopis displicuisse

ret, nihil circa hoc caput stabiliri posse, nisi simul Episcopis in suis Dioccesibus residendi lex imponeretur, cunctaque obstacula hujus legis executionem præpedientia amoverentur. Tunc plurimum erat opinio, id a Paceco ideo propositum, ut Patres velut in Labyrinthum prorsus inextricabilem conjiceret, hocque artificio eos a dogmatum examine distraheret, præcipue cum hac super re tunc primum mentem suam aperiret, postquam in Conventu die vigesima octava Maji habito de fidei articulis omnino agendum esse, decretum fuerat. Ad hujus sententiam Legati quoque satis propensi erant, prout ex eorum literis hac de re Romam datis elucet. Itaque hoc idem argumentum rursus in generali cœtu die nona Junii celebrato proponitur, ubi Giennensis Episcopus proluxa oratione differuit de incommodis Ecclesiæ ex Pastorum absentia imminentibus, nec non de pœnarum gravitate, qua a suis Dioccesibus absentes

O o 3 coer-

cuisse scribit, cum tamen Pallavicinus l. c. hæc de Fesulano dicat; *Aliqui ac præ ceteris Fesulanus angebantur ob reformatum Decretum*; de aliis vero duobus hisce Episcopis addit: *alii e diverso, inter quos Episcopi Aquinas, & Calaritanus, verba magis Regularibus faventia flagitabant.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Sæc. XVI.
A.C 1546.

coercendi essent: „ Huic vero malo re-
„ medium haud magis opportunum op-
„ poni posse aiebat, quam usum Syno-
„ dorum Provincialium restituere, præ-
„ cipue cum hodierno tempore Ecclesiæ
„ disciplina tantopere sit labefactata, ut
„ integro abhinc Sæculo nec unica Sy-
„ nodus in Hispaniis fuerit celebrata. „
Nihilominus circa hanc quæstionem in
varias opiniones secessere Episcopi.

§. CXVIII.

*Varie opiniones circa hanc quæ-
stionem.*

Pall. c. 6. l. 7. Patrum potissimi in hoc convenerant,
Episcopos re ipsa ad residendum ef-
se obstrictos, ex quonam autem jure hoc
onus descendat, quæve pœnæ absenti-
bus sint imponendæ, diversa erat diver-
forum sententia; eorum enim pauci po-
stulabant decidi, quod hæc residendi ne-
cessitas juris sit divini, alii vero puta-
bant, quod juris sit mere Ecclesiastici:
circa pœnas autem transgressoribus in-
fligendas, nonnulli præter veterum Ca-
nonum pœnas nequaquam novas esse
statuendas censebant, alii vero illos dun-
taxat proventibus privandos, eisque cun-
cta officii in suis Ecclesiis exercendi ju-
ra per integrum annum adimenda con-
tendebant. Nec deerant plures, qui hu-

hujus quæstionis decisionem, nec non poenas absentibus irrogandi jus summo Pontifici relinquendum existimabant. Equidem hæc opinionum varietas non parum turbabat Legatos; verebantur enim, ne quidam hanc legem relaxandi potestatem summo Pontifici denegare attentarent: eapropter Montanus Cardinalis hanc quæstionem nihil ad rem conferre ajebat, & sic perorabat: „Certum apud nos, quod quilibet Episcopus in sua Diœcesi permansurus sit, si Pontifex eidem absentiam non indulget: quod vero spectat Cardinales, hi ad residendum non sunt obstricti, cum illi potius sint Episcoporum Administratores, quam Episcopi: aliundo vero longe melius suas Ecclesias regunt, quamvis absentes, quam Episcoporum potissimi, licet præsentis sint (*). „

O o 4

Præ-

(*) Quam nequiter Continuator hæc Legati verba ex Pallavicino reddiderit, hoc haud luculentius demonstrari poterit, quam ex ipsis ejusdem Auctoris verbis, quæ sunt hæc: *Nunquam animadverti, cuidam Episcoporum hujusmodi privilegium concessum. Episcopi per se ipsos eam sibi libertatem arrogant. Certum sit apud nos, permansurum in sua Diœcesi quemcunque Episcoporum, cui Pontifex absentiam non indulgeat, Et nulla opus erit*

am-

Sæcul. XVI
A C. 1546. Præterea Cardinalis Cervinus affer-
bat, hanc quæstionem eo duntaxat re-
duci, utrum de residentia Decretum sit
conficiendum, vel potius differendum
(*). Patres itaque sententiam ferre
rogati in id consensere, ut ea de re am-
plius opportunitiori tempore deliberare-
tur.

§. CXIX.

Consultationes de dogmatibus fidei.

Pallav. 1. 7.
c. 3. n. 1. Eodem tempore, quo de cunctis hisce
articulis in peculiaribus Patrum
Conventibus circa morum emendatio-
nem agebatur, simul etiam alii habe-
bantur congressus, in quibus quæstio-
nes de fidei dogmatibus discutiebantur.

Ve-

*amplius sanctione ad stabiliendam ipsorum
mansionem. Adjecit adhæc, quod spectaret
ad Cardinales, Pontificem de se prospectu-
rum: de iis tamen haud parem aliquibus ra-
tionem habendam videri; illos plerumque E-
piscopos non esse, sed solum quorundam Epi-
scopatuum Administratores: Et propter maio-
rem, qua pollebant, auctoritatem multos ex
Purpuratis longe melius suas Ecclesias regere
absentes, quam minores Episcopi præsentis
regerent.*

(*). Pallavicinus habet: *An præstolan-
dam obstaculorum remotionem.*

Sæcul XVI.
A. C. 1546.

Verum non minus Cæsarei, quam Hispani atque Itali Præsules Imperatoris dominio subjecti dogmatum sanctiones retardare pro viribus nitebantur, causati, satis superque in una Sessione actum, si scholasticarum exercitationum, ac Concionum corruptelis remedium fuit oppositum. Legati hanc Præsulum oppositionem a Cæsaris Ministris concitatam suspicabantur, eo quod hi nuper secretum cum illis colloquium habuissent, quapropter hac de re datis Romam literis Papam certiore reddiderunt, a quo tamen eis responsum, ac præceptum, ut huic negotio moram ponerent, donec speciale illis mandatum desuper transmitti valeat. Hinc ea res usque ad Paschatis festa indecisa permansit, postquam vero ineunte mense Majo quæstionem de peccato, ut vocant, originali agitare jubebantur, Franciscus Toletanus Cæsaris Legatus reclam comperta Legatos visum ibat, non nisi officiosam salutationem simulans, re tamen ipsa arcana eorum consilia elicere tentabat, vario ad hoc usus dicendi artificio, nam interdum suadebat, quandoque autem, quid ipse de prosequenda reformationis materia, utpote unico præsentis examinis scopo, sentiret, proponebat. Attamen Legati Francisco sic responderunt: *Quid hoc aliud esset, ac*

Sæcul. XVI. *Synodum ad solos Catholicos, non ad hæreticos damnandos celebrare, dum illorum mores per emendationum Decreta improbarentur, horum vero errores ab anathematum sententia essent immunes? Consideraret itaque, jam a Concilio fuisse sancitum, quod de Doctrina junctim cum Reformatione agendum esset, idque a summo Pontifice editis Constitutionibus fuisset præceptum: his occedit, quod datis ad Papam literis eidem significaverimus, nos finita Paschatis hebdomada mox incepturos.*

§. CXX.

Cæsaris Legatus dogmatum examini oblectatus.

Ad hæc Legatorum verba Orator denunciavit, sibi a Cæsare per literas, ut doctrinæ examini totis viribus obsteret, esse injunctum, seque nullum non lapidem moturum, ut Principis sui voto a Patribus satisfaceret, cum æquitati adversaretur, Cæsari tam excelso, tamque de Religione bene merito offensio- nis causam præbere. His responderunt Legati, suarum esse partium, ut summo Pontifici morem gererent: mox tamen hunc in modum opposuit Tole- tanus: „ Probi Ministri partes sunt, sui „ Principis cum ceteris pacem ac con- „ cordiam conservare, neque confestim „ ejus

Sæcul XVI.
A.C. 1546.

„ ejus mandata exequi, ubi rerum per-
 „ turbatio inde eventura prænoscitur, ut
 „ hinc potius oporteret ea de re Princi-
 „ pem admonere, ac iterata ejus iussa
 „ præstolari. „ Ne id quidem abnuere
 Legati, se tamen excusantes responde-
 runt, quod iniquitatem saperet ab eis
 postulari, quæ salvo honore concedere
 haud possent: mox tamen de hac op-
 positione Papam edocebant, eidem hæc
 significantes: „ Nobis a Cardinale Tri-
 „ dentino fuit expositum, quod sine Cæ-
 „ saris offensione de peccato originali a-
 „ gi haud possit, proin rogamus vestram
 „ Sanctitatem, ut, quid hac in re agen-
 „ dum, nuntiare velit: Ni vero nova
 „ mandata a Sanctitate vestra receperi-
 „ mus, priora exequi decrevimus, Le-
 „ gatoque persuadere conabimur, nul-
 „ lius tumultus periculum subesse, etsi
 „ hoc argumentum agitetur, eoquod
 „ Lutheri affectæ circa hunc articulum
 „ a Catholicis haud discrepent, ut ex
 „ nupero Ratisbonensi colloquio patet,
 „ ubi ex Cæsaris mandato inter articu-
 „ los ibi decidendos a dogmate de Ju-
 „ stificatione cœptum est, & nulla de
 „ peccato originali concertatio inter eos
 „ exorta fuit. „

§. CXXI.

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. CXXI.

Pontificis responsum ad Legatos circa hanc oppositionem.

Pallav. n. 3.
 Ex lit Far-
 nesii ad Le-
 gatos 13.
 Maji.

Exiguo post tempore ad Legatos litem Roma deferebantur, hujus tenoris: *Summus Pontifex non sine admiratione Toletani postulatum percepit, cum hoc estimationi Concilii obesset, & antidotum contra hæreses impediret: proin cuilibet responderent Legati: Non posse a Cæsare rei conscio id postulari, sed forte perperam edocto, ignaroque malorum, quæ exinde in Ecclesiam redundarent: Quapropter dogmatum examen prosequerentur, & ne id quidem in controversiam revocari paterentur.* Acceptis hisce Papæ jussis Legati a peccati originalis examine ex mandato Pontificis esse inchoandum, Cæsareo Oratori significabant. Hic vero, ut id præpediret, novos adhibuit conatus, remque usque ad Cæsaris responsum differri, per Cavensem Episcopum postulavit, exposuitque, consultis prius Germaniæ Præsulibus, Sedis Apostolicæ Nuntium, ut rem Cæsari proponeret, esse rogandum, ac expectandum Mendozam jamjam Patavii agentem, brevique Tridentum venturum, etsi continuo febris quarta laboraret. Hasce inducias se acceptare simulabant Legati, simulque signifi-

ficabant, quod interea pro discutiendis articulis commode conventus agi possit, ne temporis dispendium fieret. Annuerunt Cæsarei, spe freti, gravibus dubiis hinc inde motis negotium abs dubio longius protractum, vel forte omnino eversum iri, de cetero Toletanus tota hac æstate nil decidi voluit.

Sæcul XVI.
A. C. 1546.

§. CXXII.

Quæstio de Peccato originali præ ceteris discussa.

Cum igitur Legati non sine animi lætitia Oratorem saltem eo adductum cernerent, ut discutiendis fidei dogmatibus initium dari posset, die vigesima prima Maji, ac sequentibus plures coegerunt Conventus, in quibus quæstio de peccato originali proponeretur, ac proximum examen in quinque hosce articulos dividebatur. I. *De Natura Peccati originalis.* II. *De Modo, quo in posteros propagatur.* III. *De allatis ab eo detrimentis.* IV. *De ipsius remedio.* V. *Quænam esset hujusmodi remedii efficacia.*

Cum igitur de primo articulo ageretur, Pelargus Trevirensis Archiepiscopi Procurator affirmavit: *Peccatum originale situm esse in privatione justitiæ originalis, in qua antea Adamus fuerat a Deo constitutus.* Opponebat vero Canariensis

sis

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

sis Antistes, asserens, hujusmodi privationem haud quidem ipsum peccatum esse. Sed quamdam ipsius pœnam. Tum Angelus Paschalis Dominicanus, Motulanensis Episcopus, verbis ex D. Thoma productis ita edixit: *Non aliunde melius declarari potest natura originalis noxæ, sicut & cujusvis defectus, quam a natura perfectionis oppositæ: prout exempli gratia, ut intelligatur, quidnam sit cæcitas, opus est intelligas, quid sit videndi facultas: est ergo peccatum originale vacuitas quædam opposita illi perfectioni, quæ Adamum innocentem condecorabat, & Justitia originalis nuncupatur: oportet igitur ex illius notione illius naturam explicari.* Justitia originalis, agebat ille, duas obtinebat partes, alteram, quæ præcipua erat, & quasi forma, alteram, quæ ad integritatem spectabat, & quasi materia. Prior erat humani arbitrii subjectio sub legitimo Domino, qui Deus est; posterior erat itidem subjectio interiorum facultatum ipsi arbitrio, quod legitimus illarum Princeps est: desciscente hominis arbitrio per Adami peccatum a Deo, descivere quoque facultates arbitrio subjectæ: hæc posterior perturbatio, aliaque hominis damna in rebellantis arbitrii ultionem inflatæ, sunt quasi originariæ culpæ materia; prima vero perturbatio, quæ non pœna, sed culpa fuit, est forma, qua ipsius natura constituitur. His prolatis alius quidam Epi-

Episcopus ex eodem sacro Ordine aliam S. Thomæ doctrinam in medium protulit. Sæcul. XVI.
A. C. 1546.

§. CXXIII.

De Peccato originali ab Adamo in nos propagato.

Circa secundum articulum major erat *Pallav. n. 5.* opinionum varietas; agebatur enim de modo, quo hoc peccatum ab Adamo in nos transfundi possit: hanc in rem Joannes Fonsæca Castellomarinus, seu Stabiensis Antistes ita sententiam suam exposuit: *Hujus noxæ propagatio in posteros, a quibus voluntarie commissa non est, declarari facile potest Regis exemplo, qui oppidum ita concesserit alicui subdito, ut illud tam ipse, ejusque posteri beneficiario jure possideant, dummodo is a fide Principis non desciscat: ubi enim ille desciverit, oppidi possessione spoliatur universa ipsius progenies nec idcirco huic conqueri licet pœnam sibi non juste inflictam; cum potius deberet Principi grates agere, qui ob factam primo Parenti liberalem donationem oppidi, posteros omnes illius hæreditariæ ditionis capaces reddiderat. Hujus beneficiarii dominatus similia fuere decora Justitiæ originaria, quæ Deus liberaliter Adamo contulit, eorumque spoliatio est macula originalis. Hoc exemplo nonnullis visum est haud plane satisfieri propositæ declarationi; illud enim,*

aje-

Sæcul. XVI aiebant, *neutiquam declarat, transmitti*
 A.C. 1546. *posse culpam Genitoris in posteros, sed so-*
lum pœnam. Re ipsa tamen satis illud
 erat intentæ a Fonseca explicationi, per
 quam solum exponere contendebat, quo
 pacto Deus ob alterius noxam abque inju-
 stitia multare nos posset: Qua vero ratio-
 ne hujusmodi noxa nostra omnium culpa vo-
 cetur, alterius est quæstionis; id vero ap-
 posite explicavit Paschalis, similitudi-
 nem a S. Thoma mutuans. Quemad-
 modum enim, inquiebat ipse, nostra mem-
 bra, quamvis libertatis ac rationis expertia,
 dicuntur ex eo delictum patrare, quod ad
 operis illiciti deformitatem moventur ab im-
 perante animi facultate, quæ in eo peccat:
 non aliter infantes, quamquam nihil volun-
 tarie de se commiserint, unde in eo statu tot
 bonis vacuo, Et nec hominis fini, nec debi-
 tæ Deo subjectioni consentaneo nasci debe-
 rent; dicuntur tamen in Adamo peccasse,
 quatenus is, qui naturam humanam in sua
 fecunditate integre continebat, suaque in ele-
 ctione bonum malumve illius naturæ statum
 effecit per voluntarium delictum, ut universa
 sui generis posteritas cum ea macula, eaque
 perversione nasceretur. Præterea ad hoc
 clarius exprimendum, S. Thomam pa-
 riter adduxit; ubi observat, in Adamo
 ab ipsius peccati macula naturam contami-
 natam; contra vero in nobis a naturæ ma-
 cula nos ipsos contaminari.

Fufius

Fufius adhuc de eodem argumento alius quidam Doctor differens, Zwinglium inter recentes hæreticos præcipue circa originale peccatum aberrasse ostendit.

Sæc. XVI.

A. C. 1546.

§. CXXIV.

De malis a peccato originali productis.

Postea tertius articulus de malis toti humano generi per peccatum originale inflictis ad examen vocabatur: *Pullav. n. 7.*

Apud Ecclesiam, agebat Præfulum non nemo, certum est, Adamum præter acceptas naturæ dotes habuisse ex mera Dei liberalitate rectam animi habitudinem atque iustitiam, quam si custodivisset, immortalitatem in se suaque stirpe possedisset, & in ipsam cuncta eadem bona transmisisset. De ceteris prærogativis, cujusmodi foret scientia de stellarum motibus ac virtute, Scriptores minime concordant, an illæ non minus hæreditariæ futuræ fuissent. Deinde certum est, Adamum peccasse violata Numinis obedientia, indeque se suamque familiam perdidisse, & etiam, seu quod vetitum pomum comederit, seu quidquam aliud pariter vetitum perpetrarit, in delicti pœnam sibi suæque posteritati divinam gratiam amisisse. Tum vero quartum articulum leviter attigit, dixitque, ab ea pœna, quam Apostolus mortem appellat, hominem non nisi

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Pp Ba-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. *Baptismi efficacia liberari.* Postremo duo hac in re cavenda præmonuit; alterum, *ne sinistra induceretur persuasio de divina Justitia, dum in infantibus culpam alienam punit: alterum, ne pœna eo usque attenuaretur, ut citra necessitatem Dei Filius ad nos ab ea redimendos advenisse videatur: eos fortasse hic Præsul denotabat, qui arbitrantur, satis esse virium in corrupta natura ad universam Legem observandam; vel etiam carpebat Ambrosium Catharinum, præsentem tunc temporis in Concilio, qui infantibus in Limbo naturalem vitæ felicitatem assignat.*

§. CXXV.

De remedio horum malorum.

Pallav. n. 8. **I**n alia quadam Congregatione agebatur de remedio contra mala per originale peccatum inducta, ubi omnes unanimi consensu illud esse Baptismum affirmarunt, idque allatis sacræ Scripturæ testimoniis comprobarunt: cum autem variæ, diversique generis causæ producant eundem hunc effectum, eandemque sanationem, hinc præter Baptismum, etiam mors ac merita Christi, quæ aquæ vitali omnem vim tribuunt, inter ejusmodi causas recensebantur, nec minus illis annumerabatur gratia, qua sancti efficimur. Insuper Syracusanus Antistes fidem quoque reliquis

quis causis adjiciendam censebat, cum ^{Sæcul. XVI.} id Christi Domini verba significant, ^{A.C. 1546.} qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit. Huic etiam Seripandus suffragatus est, multumque interioris fidei efficaciam exaggerabat, illamque exterioris ablutionis virtute superiorem esse agebat: Verum plures huic opinioni adversabantur, ac ne quidem in Decreto mentionem de fide fieri petebant, cum hæc in parvulis ad delendum originale peccatum haud necessaria esset. Postea hæc Baptismi vis ad tollendam totam peccati maculam adversus recentes hæreticos innumeris ferme sacræ Scripturæ, Conciliorum, sanctorumque Patrum testimoniis fuit comprobata.

§. CXXVI.

De concupiscentia post Baptismum remanente.

Cum autem Lutheri Sectatores vehementem hanc pronitatem ad malum, quæ concupiscentia appellatur, nihil aliud, quam ipsum peccatum originale esse contenderent, illudque in parvulis adhuc remanere affirmarent, eo quod ipsa etiam concupiscentia post Baptismum adhuc remaneat, hinc Synodi Patres perversam hanc doctrinam impugnare, totis viribus adlaborabant, ac

Pp 2

præ-

Sæcul. XVI. præter alia Verbi divini testimonia, e
A.C. 1546. quibus nullam post Baptismum maculam superesse deducitur, duos textus omnino certos produxerunt, per quos concupiscentiam non esse peccatum evincitur. Primus erat desumptus ex

Rom. 6. v. 6. D. Paulo, ubi dicit: *Veterem hominem crucifigi cum Christo, ut destruat corpus peccati, & ne ultra serviamus peccato: ac proinde nos hortatur, ne peccatum in nostro mortali corpore regnet, neque ejus concupiscentiis serviamus. Igitur, arguebat Turritanus, si remanet concupiscentia peccato destructo, quomodo dici potest, illam idem esse ac peccatum?* Postea Antistes Syracusanus alium proferebat textum e S. Jacobi Epistola desumptum, ubi describens Apostolus generationem peccati, unusquisque, *inquit, tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, inde ille inferebat, concupiscentiam ne tum quidem, cum tentat, & allicit, peccatum esse, sed postea illud procreari per nostrum consensum.*

Plures alii Episcopi ac Theologi, vario quidem modo, quid de hac re sentirent, edicebant, tandem vero conclusum, quod D. Paulus, dum concupiscentiam appellat peccatum, id per figuram dicat, quemadmodum ipsum Chri-

Christum nominat peccatum, & Eucharistiam dicit esse panem.

Sæcul. XVI
A.C. 1546.

§. CXXVII.

Antonii Marinari Carmelitæ sententia de concupiscentia.

Equidem Antonius Marinarius Carmelita circa hoc argumentum suam edixit sententiam, quæ tamen Patribus adeo non probabatur, ut etiam a Protestantium doctrina haud multum abluens crederetur. Hic igitur cum ceteris affirmabat, quod peccatum Baptismo eluatur, censebat tamen, quod concupiscentia in iis, qui nondum sacro fonte tincti sunt, esset peccatum. Post hæc ita prosequabatur: *D. Augustinus jam senex de hoc argumento ad Bonifacium scribens clare enuntiavit, concupiscentiam non esse peccatum, sed ejus causam & effectum, nec minus idem verbis non minus apertis contra Julianum scripsit, eam & esse peccatum & causam effectumque peccati, neque tamen in retractationum libris contrariarum istarum propositionum vel meminit, quod argumento esse debeat, Patrem illum arbitratum, quod ad fidem quæstio hæc non pertineat, atque in utramque partem de ea probabiliter posset disputari, & controversia prope verbalis sit.* Postea addidit: *Aliud est quæerere, an res aliqua ex se sit peccatum,*

Sæcul. XVI A.C. 1546. *an vero ratione personæ, quæ excusari mere-*
tur, exempli causa, si quis venatum profi-
ciscens, idque vitæ sustentandæ gratia feram
perimere cogitat, & per ignorantiam insupe-
rabilem interimit hominem, Jurisconsulti
dicunt, actionem eam esse delictum & homi-
cidium, sed venatorem esse excusabilem, ut
in eo peccatum censei non debeat, propter
adjunctam ignorantie circumstantiam. Ad
eundem modum Concupiscentia, quæ eadem
est & ante & post Baptismum, ex se quidem
est peccatum, attestante D. Paulo, eam e-
tiam in renatis pugnare cum lege Dei,
cui quicquid repugnat, peccatum esse necessi-
est: baptizatus nihilominus excusatur, qui
Christum induit, eoquod vestitur: articulus
igitur uno sensu verus est, altero falsus.
Neque fas est damnare propositionem, quæ
possit in bonum sensum accipi, nisi distin-
ctione prius facta.

§. CXXVIII.

Quæstio de statu Parvulorum sine Ba-
ptismo decedentium.

Verum huic Theologo Patres in re-
 sponis dederunt, quod *D. Augusti-*
nus statuerit duo genera concupiscentiæ, unam
ante Baptismum, quæ est repugnantia vo-
luntatis Legi divinæ, ideoque peccatum, &
in Baptismo obliteratur: alteram, quæ est
repugnantia sensus rationi, & manet post
Ba-

Baptismum, quam Augustinus effectum dixit, & causam peccati, peccatum vero minime. Quod si videatur interdum contrarium tueri, tunc firmiter tenendum, Augustini hanc mentem esse, concupiscentiam esse peccatum, sed in Baptismo desinere esse huiusmodi, & evadere virtutis, bonorumque operum exercitium.

Sæcul. XVI.
A.C 1546.

Ex hac quæstione subnata est alia de pœnis peccati originalis, hinc propositum fuit, utrum ignis infernalis pœna infantes sine Baptismo decedentes crucientur? Hanc in rem ostendebatur, quod D. Augustinus, & cum illo Gregorius Ariminensis hanc sententiam aperte professi sint: Magister vero sententiarum, ac ex Scholasticis ferme innumeri contrarium sentiant, qui quidem hosce parvulos ab æterna Beatitudine exclusos tradunt, eos tamen pœnam ignis subire negant, ad quam postremam sententiam Patres inclinare videbantur. Postea Fratres Franciscani acriter decertabant cum Dominicanis circa statum horum infantum post resurrectionem; hi enim illos in tenebris atque in limbo, quodam loco subterraneo, sed sine pœna ignis permansuros propugnabant: Franciscani vero locum iis supra terram assignabant, eosque luce fruituros asserabant. Verum Syno-

Sæc. XVI. di Patres exiguam hujus altercationis
 A.C. 1546. rationem habuerunt.

§. CXXIX.

*Patrum sollicitudo circa Decretum
 de Peccato originali conficien-
 dum.*

Nil ultra reliquum erat, nisi ut San-
 ctionis instruendæ norma decerne-
 retur; Patres enim, quid certi de pec-
 cati originalis essentia statuendum esset,
 nondum satis perspectum habebant.
 Proponebat Ambrosius Catharinus,
 quod concupiscentiæ & justitiæ priva-
 tio esset pœna peccati, non vero ip-
 sum peccatum, ac proin illud, quod in
 Adamo peccatum fuit, in nobis illud esse
 haud possit, nec dici valeat, quod ini-
 micitia Dei erga peccatorem, nec pec-
 catoris erga Deum fuerit peccatum,
 cum ex peccato duntaxat sequatur.
 Affirmabat itaque, quod Adæ peccatum
 in nobis sit *per imputationem* vi pacti,
 quod Deus cum Adamo iniit. Hæc
 sententia a Patribus multum fuit com-
 mendata, cum per eam haud inconcin-
 ne explicetur, qua ratione omnes pri-
 mi hominis posterius ejus transgressioni
 sint involuti: cum vero hæc opinio nul-
 lo SS. Patrum testimonio esset suffulta,
 Patres eam approbare minime aude-
 bant.

bant. Id duntaxat tanquam minime ^{Sæcul. XVI.}
 dubium habebant, quod omnes homines ^{A. C. 1546.}
 peccato originali fuerint infecti, illud-
 que per Baptismum penitus sit remis-
 sum, hinc omnes sententias his verita-
 tibus contrarias tanquam hæreticas ef-
 fe damnandas decernebant: exacte au-
 tem, atque ad amissim hoc peccatum
 inter tot pugnantes Theologorum sen-
 tentias definiri haud posse censebant, ea
 utentes cautione, ne cujusdam Catho-
 lici damnetur opinio, unde schismatis
 periculum jure foret metuendum.

§. CXXX.

*Vegæ ac Senogaliensis Episcopi ser-
mo circa hanc rem.*

Eadem igitur res gravibus erat obno-
 xia difficultatibus, quippe Andreas
 Vega ex Ordine S. Francisci hanc in rem
 ita differebat: *Neque æquum est, neque in
 quolibet Concilio receptum, opinionem ali-
 quam damnare ut hæreticam, nisi Catholica
 prius stabilita. Qui rationem procedendi in
 omnibus Conciliis intueri velit, facile obser-
 vabit, jacta primum ab iis fuisse fundamen-
 ta orthodoxa, quorum ope hæreses damna-
 rint: idem in præsentia necessario facien-
 dum est: Ecquis enim, ubi teget, Synodum
 Tridentinam damnasse assertionem Luthera-
 nam, quæ asserit, originale peccatum esse*

Pp 5 igno-

Sæcul. XVI. *ignorationem, contemptum, diffidentiam &*
A C. 1546. *odium rerum divinarum, & totius hominis*
depravationem in voluntate, anima & cor-
pore, non confestim, ubi hoc legerit, inter-
rogabit, quid igitur est peccatum origina-
le? aut saltem apud se dicat, quando qui-
dem hæc sententia est hæretica, quæ quæso est
Catholica?

Marcus Vergerius Senogalliensis Episcopus his subjunxit, quod omnes a Concilio doctrinam sat luculentam, perspicuam, ac dubiis omnibus solutam expectent: cum autem Roma Legatis injunctum esset, ut hunc articulum in proxima Sessione definirent, hi responderunt, Theologos esse vocandos, ut ipsimet hoc Decretum expedirent, ne quicquam suggillandi occasio aliis præbeatur.

§. CXXXI.

Peccati originalis Decretum in quadam Congregatione discussum.

Pallav. c. 9.
n. 1. & seq.

Hanc in rem die octava Junii generalis habitus est Patrum confessus, in quo Decretum a Prælatiis unacum quibusdam Theologis confectum rursus examini subiciebatur. Dicebatur ibi, *Adamum ob præcepti transgressionem amississe sanctitatem, in qua fuerat creatus. Hæc postrema vox fuit commutata in constitutus. Paceco monente, non esse citra controversiam.*

fiam, an Adamus interiorē sanctitatem ob- Sæcul. XVI.
tinuerit primo, quo creatus fuit, mo- A.C. 1546.
mento.

Habebatur etiam in eodem Decreto, totum Adamum ob culpam in deterius secundum corpus & animam fuisse mutatum, nulla etiam animæ parte illæsa. Hæc postrema verba deleta sunt, quod viderentur sensus etiam illis comprehendi: cum autem diceretur ibi, quod per Baptismum non solus reatus originalis peccati remittatur, sed etiam tollatur totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet, nihil quoad priorem quidem partem fuit oppositum; ast posterior visa est nonnullis supervacanea. Seripandus malebat dici, omnem rationem peccati tolli: Cavensis vero petebat, ut assereretur, tolli omnia peccata, sed ceteris Decretum ita probatum fuit.

Acrior tamen erat controversia circa sequentia hujus Decreti verba: *In renatis nihil remanet, quod Deus detestetur, aut odio habeat.* Objecit enim Seripandus hæc: *Cum concupiscentia sit origo, ac causa peccati, non potest a Deo odio non haberi, proin hæc Decreti propositio adeo universalis ac negativa est falsa.* Huic sententiæ etiam Cardinalis Polus suffragari videbatur, postquam vero humanæ naturæ miserias per peccatum inductas
 pro-

Sæcul. XVI. A.C. 1546. prolixius enarrabat, easque Paganæ etiam Philosophiæ lumini perspectas fuisse edicebat, tandem subdidit: *Reliquæ Decreti partes mihi probantur, tantummodo dubito in recensendis verbis, quibus dicitur, in renatis nihil superesse odiosum Deo: Etenim S. Paulus haud ita generatim hac in re loquitur, ut Decretum loquebatur; sed restrictius affirmat, in renatis, qui sunt in Christo, nihil esse odiosum Deo, adeoque de cunctis renatis id neutiquam ab eo dictum. A sanctis etiam Viris quotidie ea petitio iteranda est, dimitte nobis debita nostra: igitur in ipsis pariter inest aliquid, quod Deo non placet.*

Hanc Poli sententiam Bertranus Fanensis Episcopus refellere nitebatur, dicens: *Illi, qui Decretum consecerunt, consulto selegerunt vocem renati, non autem baptizati; cum fieri possit, aliquem post susceptum baptismum persistere adhuc odiosum Deo, eo quod baptismum non susceperit parato, ut oportebat, animo; at non item, si renatus fuerit: unusquisque vere renascitur, qui in fonte baptismatis est cum Christo sepultus, prout habet Decretum.*

Postea fusius in præfati verbi defensionem excurrit, eumque loquentem excepit Bituntinus Episcopus, Seripandus vero rursus in arenam descendit, Poli que sententiam propugnavit. Verum

rum Patres nihil in hoc articulo immu-^{Sæc. XVI.}
 tandum censebant: cum autem Decre-^{A.C. 1546.}
 tum pariter ediceret, quod post Bapti-
 sum *materialis*, non item *formalis* pars
 originalis peccati remaneat, hæc verba
 delebantur, seu quod SS. Patres illis
 non usi fuerint, seu quod Episcopi Ec-
 clesiæ auctoritatem terminis scholasticis
 aliunde fat obscuris firmare nollent.

§. CXXXII.

*Articuli fidei in Decreto de peccato
 originali stabiliti.*

Itaque unanimi omnium suffragio con-^{Fra Paolo}
 clusa est Decreti norma, quæ novem^{l. 2. p. 157.}
 sequentes articulos examini subji-
 cendos complectebatur: I. *Adamus trans-*
gressione mandati justitiam amisit, in iram Dei
& mortem incurrit, in anima & corpore
deterior evasit, nullum tamen peccatum ab eo
in posteros transmissum est, sed pænæ modo
corporales.

II. *Peccatum Adami dicitur originale,*
quod ab eo in posteros derivetur, non trans-
missione, sed imitatione.

III. *Peccatum originale est ignorantia,*
aut contemptus Dei, aut certe est sine timo-
re, sine fiducia in Deum, & sine amore di-
vino, cum concupiscentia pravisque desideriis,
atque in universum depravatio totius homi-
nis in voluntate, in anima & corpore.

IV. *Est*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

IV. *Esi in infantibus a natura ipsorum corrupta propensio ad malum: adveniente autem usa rationis gignitur odium rerum divinarum, & ingurgitatio rerum terrestrium: idque est peccatum originale.*

V. *Infantes, saltem parentibus fidelibus prognati, licet in remissionem peccatorum baptizati, nullum tamen per propagationem ab Adamo peccatum secum asserunt.*

VI. *Peccatum originale in Baptismo non deletur, sed duntaxat non imputatur, aut certe sic eraditur, ut in hac vita minui incipiat, in futura vero radicitus extirpetur.*

VII. *Peccatum illud permanens in Baptizato, illum ab ingressu in cælum remouetur.*

VIII. *Concupiscentia dicta fomes peccati, quæ manet post Baptismum, est verum peccatum.*

IX. *Pœna principalis peccato originali debita est ignis inferni, præter mortem corporalem, aliasque infirmitates, quibus in hac vita homo est obnoxius.*

Ex novem hisce articulis Theologi sua quemque censura perstrinxerunt, unde Decretum quinque Canones complectens desuper fuit confectum.

§. CXXXIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1546.*Controversia de Conceptione B. Virginis Mariæ in quodam cœtu agitata.*

Hanc in rem die decima sexta Junii *Pallav. l. 7.*
 generalis habebatur Patrum *c. 7. n. 1.*
 sessus, in quo Decreta, quæ altera die *Et seqq.*
 in Sessione erant promulganda, præle- *Raynald.*
 gebantur, ac præprimis recitabatur De- *ann. 1546.*
 cretum de peccato originali quinque a-
 nathemata complectens. Primum erat
de peccato Adami personali. II. *De ejus-*
dem ad posteros propagatione. III. *De re-*
medio peccati per Baptismum. IV. *De Ba-*
baptismate infantium. V. *Denique de concu-*
piscentia remanente in Baptizatis. Post-
 modum in primis quatuor articulis
 Zwinglii, in ultimo autem Lutheri er-
 rores fuere damnati. Hæc omnia
 communi omnium Patrum consensu ap-
 probabantur, excepto articulo secundo,
 qui acrioris disceptationis fomitem in-
 ter SS. Dominici & Francisci Alumnos
 subministravit, cum in præfato Decre-
 to diceretur, quod peccatum Adami in
 totum genus humanum transfisset. Non-
 nullorum quippe opinio ad id tende-
 bat, ut B. V. Maria omnino excipere-
 tur, cui quoque opinioni præter Fran-
 ciscanos adstipulabantur Cardinalis Pa-
 ce

Sæc. XVI. cecus, & duo Patres Societatis JESU,
A.C.1546. Jacobus Lainez, & Alphonfus Salme-
 ron: præcipue vero Pacecus hæc verba
 Decreto esse adjicienda contendit: *De*
B. Virgine sancta Synodus nihil definire in-
tendit, quamvis pie credatur, ipsam absque
peccato originali conceptam fuisse. In hanc
 sententiam itum est a plerisque: ast E-
 piscopi, aliique ex Ordine Fratrum Præ-
 dicatorum ibi præsentis adversæ adhæ-
 rebant sententiæ, petentes, ut dunta-
 xat verbis generalibus absque ulla ex-
 ceptione declararetur, quod Adami cor-
 ruptio in omnes homines transfierit, ut
 in ea etiam B. Virgo comprehensa vi-
 deretur; nam iidem ostendebant, quod
 si opinio de immaculata Conceptione
 declararetur tanquam *pia*, perinde sit, ac
 si sententia adversa pronuntiaretur *im-*
pia.

§. CXXXIV.

Hæc quæstio a Synodo non decisa.

Cum vero Synodus neutram speciali-
 ter sententiam circa hanc quæstio-
 nem amplecti, nec adoptando unam al-
 teri detrahere vellet, hinc rem omnem
 indecisam relinquere statuit: Nihilomi-
 nus cum quævis ex duabus hisce liti-
 gantium partibus quædam verba adver-
 sæ sententiæ minus faventia intrudere-
 niteretur, Legati ex Asturicensis Epi-
 sco-

scopi consilio decreverunt, post quin-
 tum Canonem hæc duntaxat verba De-
 creto esse inferenda: *Declarat sancta Syn-*
odus, non esse suæ intentionis, comprehende-
re in hoc Decreto, ubi de peccato originali
agitur, beatam & immaculatam Virginem
Mariam, Matrem Jesu Christi; de qua re
nihil in præsentia intendit decernere, sed ob-
servandas esse Constitutiones felicitis recorda-
tionis Sixti Papæ IV. Insuper nonnulli
 hæc addi petebant, quod licitum non
 sit contra immaculatam Conceptionem
 verba facere, nec minus Aquensis etiam
 Archiepiscopus prohiberi voluit, ne de
 hac, vel illa sententia contentio fieret:
 Calariensis vero ac Saffarinus Episcopi
 duntaxat inhibendum censebant, ne de
 hoc argumento in Scholis vel publicis
 sermonibus mentio fieret. Porro id
 omnino certum est, quod hæc exceptio
 in Synodi editione anno Christi millesimo
 quingentesimo quadragesimo octavo
 Mediolanensibus literis excusa reperia-
 tur: præterea Catharinus, qui Synodo
 præsens librum de hac quæstione Romæ
 anno Domini millesimo quingentesimo
 quinquagesimo quinto edidit, disertis ver-
 bis affirmat, quod hæc exceptio unani-
 mi consensu fuerit recepta. His acce-
 dit, quod Dominicus Soto, alius ex
 Ordine Fratrum Prædicatorum Theo-
 logus in suo commentario in caput quin-
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Qq tum

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

Sæc. XVI. tum Epistolæ ad Romanos anno salutis
A.C. 1546. nostræ millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo typis impresso fateatur, quod
 hæc exceptio a Patribus recepta Decre-
 to de peccato originali fuerit inserta.

§. CXXXV.

*Bulla in favorem Episcoporum edi-
 ta a Legatis prælegi iussa.*

Pallav. c. 13. His ita constitutis Decretum Fidem ac
n. 3 & 4. Reformationem concernens præle-
Raynald hoc gebatur, a cunctis approbatum. Insuper
anno n. 86. per Saffariensis seu Turritanus Antistes
 transmissum Pontificis Diploma recita-
 ri petiit, vi cuius Episcopi ad acceptan-
 dum hoc Decretum, illudque ad acta re-
 ferendum remotis obstaculis induceban-
 tur. Data est hæc Bulla die septima
 Junii anno Incarnationis dominicæ mil-
 lesimo quingentesimo quadragesimo sex-
 to; Legati autem acceperant hujus Con-
 stitutionis exemplar, in quo paucis dun-
 taxat verbis ea immutarunt, quæ Sy-
 nodi auctoritatem in dubium vocare vi-
 debantur, novæque altercationis fomes
 esse poterant: Igitur Diploma his con-
 ceptum erat verbis: *Quamquam Synodus
 fuisset legitime convocata, & ipsi plena Le-
 gatorum Pontificiorum potestate præside-
 rent; tamen quo major esset eorum firmitas,
 quæ adversus Jus commune, Sanctionesve
 Apo-*

Apostolicas statuerentur, de traducendis Sa- Sæcul. XVI.
cerdotii primo vacaturi fructibus ad sacra- A C. 1546.
rum Literarum Magistros, de Regularibus,
de Concionatoribus, de Rectoribus Paræcia-
rum, aliisque per privilegia immunibus, ac
de Quæstoribus eleemosynarum, expetiit con-
sensum, auctoritatemque Pontificis: idcirco
id ample ab ipso Papa comprobatur, confir-
maturque, quidquid in hujusmodi rebus a
Concilio decerneretur. Hoc Diploma com-
muni consensu fuit receptum, excepto
Fesulano Antistite, qui hæc verba sub-
junxit: Fiat absque præjudicio universalis
auctoritatis hujus sanctæ Synodi.

§. CXXXVI.

Farnesii Cardinalis propositiones cir-
ca Vulgatæ editionem.

Interea summus Pontifex Romæ a qui *Pallav. c. 12.*
 busdam selectis Doctoribus rationes *n. 1. & 2.*
 expendi jufferat, quibus Legati Decre-
 tum de vulgata sacræ Scripturæ editio-
 ne propugnabant. Equidem illæ Pon-
 tifici satis validæ, atque ad reprimendas
 altercationes oppido idoneæ videban-
 tur; nihilominus in re tanti momenti
 adhuc semper Romæ quoddam dubium
 obversabatur; quapropter Cardinalis
 Farnesius datis Tridentum literis hæc
 significavit: „Quæstio quidem fuit exa-
 minata, illius tamen decisio ad proxi-

Qq 2

„mum

Sæcul. XVI. „, mum confessum remissa: „, Eo autem
A.C 1546. habito ad Legatos perscripsit hunc in
 modum: *Duo adhuc supersunt scrupuli:*
 I. *Quod in Decreto appositum fuisset ana-*
thema: alterum, quod errata quædam diffi-
culter possent verti indiligentiæ Scribarum,
aut Typographorum, seu temporum vitio.
Quæ cum ita essent, probatur quidem, ut
sacra Biblia ex ipsorum Decreto de novo
quam emendatissima typis ederentur, ad quod
Pontifex omnem de se opem pollicebatur, sed
totum id minime satis fore censemus. Ete-
nim vel sola menda expurganda erant, qua
scriptionis vitio & injuria temporis irrepse-
rant, id tamen immensi juxta ac dif-
ficillimi laboris negotium foret, qua de
re Farnesius Legatorum sententias ro-
gabat.

Hi Pontificis consilium summopere
 commendantes Vulgatam editionem
 vindicabant, eoquod illa præ ceteris
 omnibus versionibus magis emendata,
 minusque de erroribus suspecta esset,
 quibus addiderunt: *Haud diffitemur, quod*
quædam in ea inepte, obscure, & barbare
dicta reperiantur, nemini tamen interdici-
um, quin ea vel per adjectas notas, vel per novam
explicationem illustrare posset, hinc si illi, qui-
bus norma nuperi Decreti displicet, ejusmodi
loca annotare velint, omnem navabimus ope-
ram, ut ipsis satisfiat.

§. CXXXVII.

Sessio V. Tridentinæ Synodi.

Sæc. XVI.

A.C. 1546.

Rebus ita compositis die decima septima Junii habita est Sessio quinta, non sine maximo Patrum concursu; quippe præter tres Præsides, duosque Cardinales, & utrumque Caroli V. Oratorem Mendozam & Toletanum convenerant novem Archiepiscopi, quadraginta novem Antistites, duo Augustani Cardinalis ac Trevirensis Archiepiscopi Procuratores, Montis Cassinensis Abbates, ac supremi Ordinum Præfecti. Congregatis omnibus Alexander Piccolominæus Pientinus Antistes solemne sacrificium de Spiritu sancto decantavit, quo finito Marcus Laureus Dominicanus sermonem habuit, & demum ritibus, precibusque de more persolutis Episcopi Pontificios ornatus induerunt, idem vero Præsul, qui rem divinam peregerat, alta voce fidei Decretum circa peccatum originale quinque hisce sanctionibus comprehensum prælegit.

I. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem & Justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi*

Qq3

com-

*Labbe Coll.**Conc. t. 14.**p. 748.**Pallav. l. 7.**c. 13. n. 1.**Et 2.*

Sæcul. XVI
A. C. 1546.

comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, totumque Adam per illam præuagationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

II. *Si quis Adæ præuagationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis, etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedienciæ peccatum mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mort est animæ, anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

III. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humane nature vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio & redemptio, aut negat ipsum Jesu Christi meritum per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam*

quam parvulis applicari; anathema sit: Sæcul. XVI. A. C. 1546.
quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos Act. 4.
salvos fieri. *Unde illa vox:* Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Joan. 1.
Et illa: Quicumque baptizati estis, Galat. 3.
Christum induistis.

IV. *Si quis parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit: propter hanc enim regulam fidei ex Traditione Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt: Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spi-*

Rom. 5.

Qq 4

ritu

Sæcul XVI. ritu sancto, non potest introire in Re-
 A C 1546 gnum Dei.

V. Si quis per Domini nostri Iesu Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non immutari, anathema sit: In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita, ut nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur: Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, ac sentit, quæ cum ad agonem sit relicta, nocere non consentientibus, & viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus, non valet: quin imo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: Si quis autem con-

tra-

trarium senserit, anathema sit: *Declarat* Sæcul. XVI.
A.C. 1546.
tamen hæc ipsa Synodus, non esse suæ inten-
tionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi
de peccato originali agitur, beatam & im-
maculatam Virginem Mariam, Dei Geni-
tricem, sed observandas esse Constitutiones
felicis recordationis Xysti Papæ IV. sub pœ-
nis in eis Constitutionibus contentis, quas
innovat.

§. CXXXVIII.

*Decretum de Reformatione circa in-
stituendos Theologiæ Lectores.*

Subsequens hoc Decretum de Refor- Labb. p. 753.
Pallav. c. 11.
matione duo complectitur capita, in
quorum primo ita habetur: *Eadem sa-
crosancta Synodus, piis summorum Pontifi-
cum & probatorum Conciliorum Constitu-
tionibus inhærens, easque amplectens, & il-
lis adjiciens, ne cælestis ille sacrorum libro-
rum thesaurus, quem Spiritus sanctus sum-
ma liberalitate hominibus tradidit, neglectus
jaceat, statuit & decrevit, quod in illis Ec-
clesiis, in quibus præbenda, aut præstimo-
nium, seu aliud quovis nomine nuncupatum
stipendium, pro Lectoribus sacrae Theolo-
giæ deputatum reperitur, Episcopi, Ar-
chiepiscopi, Primates, & alii locorum Or-
dinarii eos, qui præbendam, aut præsti-
monium, seu stipendium hujusmodi obtinent,
ad ipsius sacrae Scripturae expositionem aut*

Sæcul. XVI. A. C. 1546. interpretationem per seipfos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Prælatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant & compellant. De cetero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, & quæ per seipfos id munus explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit & invalida: in Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatible injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse, per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ Civitatis, & Diœcesis, vel alias prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacra Scriptura lectio habeatur, ita tamen, ut quæcunque alicæ lectiones, vel consuetudine, vel qua-

quavis alia ratione institutæ, propter id mi- Sæcul. XVI.
 nime prætermittantur: Ecclesiæ vero, qua- A. C. 1546.
 rum annui proventus tenues fuerint, & ubi
 tam exigua est Cleri & populi multitudo, ut
 Theologiæ lectio in eis commode haberi non
 possit, saltem Magistrum habeant ab Episco-
 po cum consilio Capituli eligendum, qui Cle-
 ricos, aliosque Scholares pauperes Gram-
 maticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa
 sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, tran-
 sfire possint, ideoque illi Magistro Gramma-
 tices, vel alicujus simplicis beneficii fructus,
 quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo
 persliterit, assignentur; dum tamen benefi-
 cium ipsum suo debito non fraudetur obse-
 quio, vel ex Capitulari, vel Episcopali men-
 sa condigna aliqua merces persolvatur, vel
 alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat
 suæ Ecclesiæ & Diœcesi accommodam, ne
 pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio
 quovis quæsito colore negligatur. In Mo-
 nasteriis quoque Monachorum, ubi commo-
 de fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ
 habeatur, qua in re si Abbates negligentes
 fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis
 Apostolicæ Delegati, eos ad id opportunis
 remediis compellant: In Conventibus-vero
 aliorum Regularium, in quibus studia com-
 mode vigere possunt, sacræ Scripturæ lectio
 similiter habeatur, quæ lectio a Capitulis ge-
 neralibus, vel provincialibus assignetur di-
 gnioribus Magistris. In Gymnasiis etiam
 pu-

Sæcul. XVI
 A.C. 1546
 publicis, ubi tam honorifica, & ceterorum
 omnium maxime necessaria lectio hætenus in-
 stituta non fuerit, religiosissimorum Prin-
 cipum, ac rerum publicarum pietate & cha-
 ritate ad Catholicæ fidei defensionem & in-
 crementum, sanæque doctrinæ conservatio-
 nem & propagationem, insituatur, & ubi
 instituta foret, & negligeretur, restituatur.
 Et ne sub specie pietatis impietas dis-
 seminetur, statuit eadem sancta Synodus, ne-
 minem ad hujusmodi lectionis officium, tam
 publice, quam privatim admittendum esse,
 qui prius ab Episcopo loci de vita, moribus,
 & scientia examinatus & approbatus non
 fuerit: quod tamen de Lectoribus in clau-
 stris Monachorum non intelligatur: docen-
 tes vero ipsam sacram Scripturam, dum pu-
 blice in Scholis docuerint, & Scholares, qui
 in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus
 de perceptione fructuum, præbendarum &
 beneficiorum suorum in absentia, a jure com-
 muni concessis, plene gaudeant, & fru-
 antur.

§. CXXXIX.

*Secunda hujus Decreti pars de Verbi
 divini Præconibus, & elemosy-
 narum Quæstoribus.*

Labbe p. 755. In altero hujus Decreti capite de Præ-
 dicatoribus & Quæstoribus Synodus
 ita pronuntiat: Quia Christianæ Reipub-
 licæ

blicæ non minus necessaria est prædicatio E. Sæcul. XVI.
 vangelii, quam lectio, & hoc est præcipuum A C. 1546.
 Episcoporum munus, statuit & decrevit ea-
 dem sancta Synodus, omnes Episcopos, Ar-
 chiepiscopos, Primates, & omnes alios Ec-
 clesiarum Prælatos, teneri per seipsos, si le-
 gitime impediti non fuerint, ad prædican-
 dum sanctum Jesu Christi Evangelium: Si
 vero contigerit, Episcopos, & alios præ-
 didos legitimo detineri impedimento, juxta
 formam generalis Concilii, Viros idoneos
 assumere teneantur, ad hujusmodi prædi-
 cationis officium salubriter exequendum: Si
 quis autem hoc adimplere contempserit, di-
 strictæ subiaceat ultioni. Archipresbyteri
 quoque, plebani, & quicumque Parochiales,
 vel alias curam animarum habentes, Eccle-
 sias quocumque modo obtinent, per se, vel
 per alios idoneos, si legitime impediti fue-
 rint, diebus saltem Dominicis & Festis so-
 lemnibus plebes sibi commissas pro sua & ea-
 rum capacitate pascant salutaribus verbis,
 docendo ea, quæ scire omnibus necessarium
 est ad salutem, annuntiandoque eis cum bre-
 vitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos
 declinare, & virtutes, quas sectari oportet,
 ut pœnam æternam evadere, & cœle-
 stem gloriam consequi valeant. Id vero si
 quis eorum præstare negligat, etiamsi ab E-
 piscopi jurisdictione quavis ratione exem-
 ptum se esse prætenderet; etiamsi Ecclesiæ
 quovis modo exemptæ dicerentur, aut ali-
 cui

Sæcul. XVI. cui Monasterio, etiam extra Diocesim exi-
 A C 1546. stenti, forsitan annexæ, vel unitæ, modo re
 ipsa in Diœcesi sint, provida pastoralis E-
 piscoporū sollicitudo non desit, ne illud ad-
 Thren. 4. impleatur: Parvuli petierunt panem, &
 non erat, qui frangeret eis. Itaque ubi
 ab Episcopo moniti trium mensum spatio
 muneri suo defuerint, per censuras Ecclesia-
 sticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium
 cogantur: ita, ut etiam, si sic ei expedire
 visum fuerit, ex beneficiorum fructibus al-
 teri, qui id præstet, honesta aliqua merces
 persolvatur, donec principalis ipse respi-
 scens officium suum impleat. Si quæ vero
 Parochiales Ecclesiæ reperiantur subiectæ
 Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus, si
 Abbates & Regulares Prælati in prædictis
 negligentes fuerint, a Metropolitanis, in
 quorum Provinciis Diœceses ipsæ sitæ sunt,
 tanquam quoad hoc Sedis Apostolicæ delega-
 tis compellantur. Neque hujus Decreti exe-
 cutionem consuetudo, vel exemptio, aut ap-
 pellatio, aut reclamatio, sive recursus im-
 pedire valeat, quousque desuper a competen-
 ti Judice, qui summarie, & sola facti ve-
 ritate inspecta procedat, cognitum & deci-
 sum fuerit: Regulares vero, cujuscunque
 Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita,
 moribus, & scientia examinati & approba-
 ti fuerint, ac de eorum licentia, etiam in
 Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non
 pos-

possint, cum qua licentia personaliter se co-
 ram Episcopis præsentare, & ab eis bene-
 dictionem petere teneantur, antequam præ-
 dicare incipiant: in Ecclesiis vero, quæ suo-
 rum Ordinum non sunt, ultra licentiam suo-
 rum Superiorum, etiam Episcopi licentiam
 habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis
 non suorum Ordinum nullo modo prædicare
 possint: ipsam autem licentiam gratis Epi-
 scopi concedant. Si vero, quod absit, Præ-
 dicator errores, aut scandala disseminave-
 rit in populum, etiamsi in Monasterio sui
 vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei
 prædicationem interdicit. Quod si hæreses
 prædicaverit, contra eum secundum juris di-
 spositionem, aut loci consuetudinem proce-
 dat, etiamsi Prædicator ipse generali vel
 speciali privilegio exemptum se esse præten-
 deret: quo casu Episcopus auctoritate Apo-
 stolica, & tanquam Sedis Apostolicæ Dele-
 gatus procedat. Curent autem Episcopi,
 ne quis Prædicator vel ex falsis informatio-
 nibus, vel alias calumniose vexetur, justam-
 ve de eis conquerendi causam habeat. Ca-
 veant præterea Episcopi, ne aliquem vel eo-
 rum, qui cum sint nomine Regulares, ex-
 tra claustra tamen & obedientiam Religio-
 num suarum vivunt, vel Presbyterorum sæ-
 cularium, nisi ipsis noti sint, & moribus
 atque doctrina probati, etiam quorumlibet
 privilegiorum prætextu, in sua civitate, vel
 Diæ-

Sæcul. XVI.
 A C 546.

Sæcul. XVI. *Diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsi*
 A C. 1546 *Episcopis super ea re sancta Sedes Apostoli-*
ca consulatur, a qua privilegia hujusmodi
nisi tacita veritate, & expresse mandacio ab
indignis extorqueri verisimile non est. Qua-
stores vero Eleemosynarii, qui etiam quæstua-
rii vulgo dicuntur, cujuscunque conditionis
existant, nullo modo, nec per se, nec per
alium prædicare præsumant, & contra fa-
cientes ab Episcopis & Ordinariis locorum
privilegiis quibuscunque non obstantibus, op-
portunis remediis omnino arceantur.

§. CXL.

Controversia circa fidei Decretum de
Conceptione B. Virginis.

Hæc Decreta in Synodo fuerant per-
 lecta, atque a potissimis approba-
 ta, non deerant tamen pauci quidam,
 qui nonnulla movebant dubia, & qui-
 dem circa primum Decretum, quod de
 Conceptione B. Virginis agit, Gien-
 nensis Episcopus hæc verba addi vo-
 luit: *prout potissima Ecclesie pars magis*
pie credit, vel, cum plures credant, quod
B. Virgo non sit concepta in peccato origi-
nali: Aquensis vero Cardinalis rem re-
ligioso silentio prætereundam, cunctis-
que Prædicatoribus, ne de hac quæ-
stione ad populum dicerent, inhiben-
dum censuit. Porro Saffariensis Epi-
scopus

scopus hanc in rem ita effatus est: Sæcul. XVI.

„ Hic articulus uni parti nocet, quin al- A.C 1546.
 „ teri consulat, atque exinde veteres su-
 „ scitantur lites, quæ a tempore Bullæ
 „ a Sixto IV. editæ, de qua Decretum
 „ mentionem facit, Ecclesiam perturba-
 „ runt. „ Ex aduerso Senensis Episco-
 pus ita pronuntiavit, quod Decretum
 approbet, dummodo B. Virgini nihil
 omnino deroget, nec minus etiam Pa-
 normitanus Antistes illud sub iisdem
 conditionibus, quas Giennensis sugges-
 sit, ratum habuit: Cavensis vero Epi-
 scopus primæ suæ sententiæ die decima
 sexta Junii prolatae inhæsit. De cete-
 ro Claromontanus Episcopus existima-
 bat, disertis verbis esse definiendum,
 quod B. Virgo sine originaria labe fue-
 rit concepta: Porro Senensis opinioni
 Chironensis titularis Episcopus, Giennensis
 vero Cardinalis sententiæ accessit
 Episcopus S. Marci. Denique Calagu-
 ritanus scriptotenus mentem suam ape-
 ruit his verbis: „ Decretum approbo,
 „ dummodo ista adderentur: Cum non
 „ pauci Prædicatores in suis sermonibus
 „ non sine populi offensione divulgare
 „ præsumant, quod B. Virgo in peccato
 „ originali sit concepta, hinc in poste-
 „ rum sit prohibitum, ejusmodi doctri-
 „ nam ad populum dicere, donec hanc
 „ quæstionem Ecclesia definierit: inte-

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Rr rea

Sæcul. XVI
A. C. 1546.

„rea vero Synodus hanc opinionem dam-
nare non intendit.„ Insuper se Decreti
titulum non approbare affirmavit: E-
piscopus vero Castellomarinus censuit,
quod quædam verba, quibus scandalum
tolleretur, nec tamen ulli parti deroga-
retur, articulo de Conceptione B. Vir-
ginis sint addenda. Cuncta hæc suf-
fragia per Massarellum, qui Synodo erat
a secretis, colligebantur: cum tamen
potior pars nihil esse innovandum judi-
caret, Decretum a cunctis fuit approba-
tum.

§. CXLI.

*Alia dubia circa Reformationis De-
cretum mota.*

*Pallav. l. 7.
c. II. n. 3.
§ 4.*

Quidam etiam articuli ex Decreto de
Reformatione quorundam cavil-
lationi erant expositi, pluresque illud
approbare recusabant, nisi quædam verba
illud moderantia adderentur; nam præ-
primis Pacecus Cardinalis adhuc aliam,
ob quam Beneficium vacare censeretur,
exceptionem Decreto esse adjungendam
censuit, eamque *regressus causam* appel-
lavit. Huic sese opposuit Cervinus
Cardinalis, veritus, ne Synodus ejus-
modi regressus approbasse censeretur.
Porro Salsariensi Episcopo placuit De-
cretum circa Regularium conciones in
eorum Ecclesiis, eos tamen invito Epi-
scopo

scopo ex Synodi mente fieri noluit, nec ^{Sæcul. XVI.} minus præter privilegiorum derogatio- ^{A.C. 1546.}
nem etiam petiit, ut huic articulo etiam
Diploma, quo firmabatur, in actis inse-
reretur: Fesulanus vero Episcopus hoc
Decretum acceptare recusabat, nisi E-
piscopis ac Parochis sua munia ac Præ-
dicationis officium libere exercendi fa-
cultas redderetur, ita, ut absque Epi-
scopi licentia nemini in quocunque lo-
co ad populum dicere liceret. Deside-
rabat Bellocastrensis Episcopus, ut De-
creto hæc verba adjicerentur: „ Si ve-
ro Regulares sese Episcopo sistere ne-
glexerint, prædicare haud valeant. „
Eadem hæc opinio pluribus insedit.
Præterea Oscensi Episcopo Decreti titu-
lus minus arridebat, Calaguritanus au-
tem Antistes scriptotenus sententiam
suam promens, Decretum approbavit,
dummodo Regulares pro petenda Bene-
dictione sese Episcopis sisterent, tunc
vero, si non approbentur, nullibi intra
Diœcesin prædicare valerent. Deni-
que Canariensis Episcopus ita perora-
vit: „ Equidem in illo de Prædicatori- ^{Pallav. l. 7.}
bus articulo sancitum est, quod Regu- ^{c. 13. n. 5.}
lares ab Episcopis, ut in Parochiis præ-
dicare possint, licentiam petere tenean-
tur: verum mihi videtur, quod tunc,
si semel Religiosus sese Episcopo exhi-
buit, dataque licentia revocata non
Rr 2 „ fuit,

Sæcul. XVI., „ fuit, sufficiat, ut unice a Parocho con-
A.C. 1546. „ cionandi facultatem accipiat: „ In-
 superhabitis tamen omnibus hisce ra-
 tionibus Decretum fuit approbatum:
 tandem vero Hercules Sevarolus Syno-
 di Promotor petiit, ut contra Episcopos
 absentes contumaciæ sententia pronun-
 ciaretur, atque contra eos iudicii acta
 instruerentur. Verum varia erat desu-
 per Patrum sententia, potissimis eo in-
 clinantibus, ut Germaniæ Antifites,
 quamdiu Comitia agerentur, ab hac le-
 ge exciperentur.

§. CXLII.

Animadversiones in idem Decretum.

In hoc postremum Decretum sequentes
 fieri possunt animadversiones: I. Cum
 ab initio in illo dicatur, quod *Synodus*
PROBATORUM CONCILIORUM
Constitutionibus inhærere velit, per hæc
 verba subobscurè declarat, quod Basi-
 leense Concilium nequiquam imitari in-
 tendat, quamvis illud tacite confirmet,
 cum in eodem hoc Basileensi Concilio
 Theologiæ studium ad Cathedrales Ec-
 clesias sit extensum, atque ante illud
 duntaxat pro Metropolitanis fuerit fan-
 citum (*).

II. Præ-

(*) Ita nempe desperatæ causæ patroci-
 nium non nisi a risu dignis, atque infirmis ra-
 tio-

Sæcul. XVI
A.C. 1546. jus, vi cuius hic transgressores ad Decretum observandum per subtractionem fructuum compellere posset, cum tamen id circa *Grossos*, ut vocant, fructus in Galliæ Regno non nisi per Procuratorem generalem fieri debeat (*).

III. Cum Papa Legatis suis præcepisset, ut Monachos contra Episcoporum molimina tuerentur, hi vero suis juribus atque auctoritati pertinacius insisterent, ex mutuo hoc utriusque partis certamine ac studio Montanus Cardinalis pertimescere cœperat, ne Privilegia Monachis a summis Pontificibus concessa labefactarentur, sensimque Mo-

(*) Haud satis mirari poterit Lector, quod ea ex ratione Concilium Tridentinum in Gallis receptum non sit, & tamen illo tempore, quo hoc Decretum conditum fuit, nullus ex Gallis Præsulibus, Oratoribus ac Theologis a Franciæ Regibus ad Synodum missis contra hanc sanctionem reclamavit: cum tamen huic Concilio Franciæ Archiepiscopi duo, Episcopi autem viginti quatuor interfuerint præter tres Oratores, & duodecim Theologos: haud ignoro, quod Legati ab Henrico II. & Carolo IX. missi de immutata dignitate regia querentes a Synodo recesserint, inde tamen non sequitur, quod totum Concilium Tridentinum, & quidem ob præfatum Decretum non fuerit admissum: id

naſteria Sedis Apoſtolicæ jurisdictioni Sæcul. XVI.
 ſubtraherentur, eaque ruruſ ſubjiceren- A.C. 1546.
 tur Episcopis: cum ergo Montanus an-
 xiis hiſce curis agitaretur, Sebaſtianus
 Pighinus Romanæ Rotæ Auditor quod-
 dam excogitavit medium, quo hæ diffi-
 cultates tollerentur; nam ſuggellit, E-
 piſcopis non tanquam Episcopis, ſed ut
Sedis Apoſtolicæ Delegatis dandam eſſe
 facultatem Theologiæ lectiones in Mo-
 naſteriis inſtituendi, ſeu ſuaſit, conce-
 dendam illis eſſe poteſtatem, ut in hoc
 negotio auctoritate Pontificia, ac Papæ
 nomine agere valeant. Eapropter in
 pluribus hujus Decreti locis hæc verba,

Rr 4 tan-

atque diſcere potuiſſet Continuator ex Petro
 de Marca auctore certe ipſi non ſuſpecto, qui
 lib. 2. Concord. Sacerdotii & Imperii cap. 17.
 n. 6. ita diſſerit: *Concilii Tridentini definitio-
 nes fidei admiſſæ ſunt edito publico, quod ea
 die latum eſt anno 1579., ſed Decreta, quæ
 diſciplinam reſpiciunt, non ſervantur in Gal-
 lia, quia lege Principis deſtituuntur: quamvis
 præcipua capita, quæ Gallicanæ Eccleſiæ re-
 ceptos mores & jura antiqua non infringunt,
 comprehenſa ſunt conſtitutionibus regiis, quæ
 hac de re variis temporibus editæ ſunt, quod
 gratum, & acceptum fuiſſe ſummo Pontifici
 Clementi VIII. teſtatur Henricus Magnus fe-
 licis memoriæ Princeps in reſcripto Anni*

MDCVI.

Sæc. XVI.
A.C. 1546. tanquam a Sede Apostolica ad hoc Delegati: reperiuntur, eorumque frequens usus est in ceteris Synodi hujus Decretis, quando Patres quædam Episcopis impertiri desiderabant, quin tamen vel minimum Pontificis auctoritati derogarent. Fatetur etiam Pallavicinus, quod prima vice hæc verba fuerint adhibita (*).

§. CXLIII.

MDCVI Ea autem ex ratione si Continuator Tridentinum Concilium in Francia non esse receptum affirmat, admittere etiam debet nequidem Basileense ibidem esse receptum, quia de eodem idem Scriptor hæc effatur: *Ecclesia Gallicana precibus, et monitis sollicitatus Carolus VII., quæ de recipiendis Concilii Basileensis Decretis tractata fuerant, consilio cum Proceribus habito, postquam omnia æquitate congruere vidisset, celebri illa Pragmatica sanctione confirmavit, vimque et robur legis publicæ Concilii Basileensis capitibus addidit, quod eo sensu accipiendum est, ut eorum Decretorum vigor non ab eo tempore, quo Basilea edita fuerant, sed a die promulgatæ Pragmaticæ sanctionis obtineret, quemadmodum edito suo Princeps invictissimus constituit anno millesimo quadringentesimo quadragesimo.*

(*) Rursus Continuator haud immerito incuriæ insimulari posset, cum Pallavicino attribuit,

§. CXLIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1546.*Cæsar Ratisbonam veniens.*

Cum Cæsar gravibus podagræ doloribus opprimeretur, non nisi die sex-

ta Junii Ratisbonam venire poterat, ubi tamen non sine magno animi sui mœrore conspexerat, quod Principes Protestantes, prout tamen erant rogati, ne-

Rr 5 qua-

buit, quod horum verborum initium ab hac Synodo reperat, cum tamen hic duntaxat dicat: *Proinde id initium* (Continuator autem forte fugitivo suo oculo legit *initium*) *est temperamentum* &c. Insuper idem Pallavicinus ait, quod hæc ratio ita Episcopis tanquam a Pontifice delegatis potestatem tribuendi *exemplo quorundam NB. antiquorum Canonum* fuerit adhibita; quid vero hæc ipsa operetur, haud inutile erit ex ipsomet percipere: *Cum ex una parte*, inquit ille, *vellet Pontifex jurisdictionem Episcopis impertiri, qua plerumque uti possent in homines ab illorum foro per Pontificia privilegia subduktos, ex altera vero res odii plena, nec circa incommodum evasisset, hujusmodi privilegia vel ex toto, vel ex parte abrogare. Proinde id initium temperamentum, quo jurisdictionem, perinde atque ordinaria foret, Episcopi obtinerent; simul etiam in iis, qui per privilegia exprimebantur, titulus ac veritas exemptio-*

Sæcul. XVI. A.C. 1546 quaquam per se ipsos, sed duntaxat per suos Deputatos illuc accesserint, ac insuper Theologi ulterioris moræ pertæsi inde recesserint. Hujus rei indignationem Cæsar haud quidem dissimulabat, tertio tamen post adventum suum die Conventui initium dedit, cui ex Catholicis intererant Ferdinandus Romanorum Rex, Ericus Brunsvicensis, Joannes & Albertus Brandenburgici Duces, præ-

emptionis intacta persisteret, concessa cunctis Episcopis facultate, de qua dictum est, generali ac perpetua, in certis quibusdam causis jurisdictionis exercendæ, tanquam speciatim a Sede Apostolica delegatis. Id autem efficit inprimis, ut in hujusmodi causis ad Metropolitanum provocari non possit, sed solum ad delegantem, qui Romanus Pontifex est, & pariter ut ea potestas sit communis Vicaria, sine sui muneris jure & absque peculiari Episcopi, ut ajunt, sublegatione. Quin in quibusdam potestas ita delegatur Episcopis a Concilio, ut ipsi vetentur alium sui loco delegationi subrogare; quemadmodum ubi statuit, Episcopo licere per seipsum hunc certum jurisdictionis actum exercere, vel solo Episcopo licere id agere. Præterea servat titulum ex privilegio obtentum, quæ vel sola titularum retentio potest aliquando prudenter conducere subditorum quieti, qui non minus vocibus, quam rebus quandoque commoventur.

præter Episcopos Bambergensem, Her-
 bipolensem, Passaviensem, Hildeshei-
 mensem atque Tridentinum & Augusta-
 num Cardinalem: ex parte Protestan-
 tium vero accesserant Palatini Comitis
 Oratores, nec non Coloniensis, Monaste-
 riensis, Norimbergensis, Nortlinganæ &
 Ratisbonensis Urbium Delegati.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

§. CXLIV.

Conventus Ratisbonæ habitus.

Igitur Imperator præsentis Conventus
 causas exponens ita effatus est: *Vo-*
bis omnibus constat, quemadmodum Impe-
rii causse longe sane gravissimæ, Comitio
superiori Wormatiæ, propter plurimo-
rum absentiam expediri non potuerint:
ad hunc itaque Conventum res fuit dila-
ta: quo minus autem ad constitutum diem,
nonas Januarii mensis, ipse venerim, fa-
ctum est partim ob infirmam valetudinem,
partim quod colloquium fuerit inchoatum
opinione tardius: habui quoque rationem
temporis & hyemis asperrimæ, nec vos
ullo non necessario sumptu volui gravare,
& quamquam domi satis esset, quod age-
rem, tamen ingressus iter, omnium pri-
mus buc veni: quod sane præter expecta-
tionem mihi prorsus accidit, nam exemplo
meo debuissetis reliquis etiam privatis ne-
 go-

Steid. p. 587.
Vo-Heiff. hist. de
l'Empir. t. I.
l. 3. p. 383.

Sæc. XVI.
A. G. 1546.

gotiis anteferre rempublicam: confido autem, fore, ut, qui valetudine non sunt impediti, veniant etiamnum, reliqui vero Legatos mittant cum plenis mandatis: porro Wornatiæ fuit designatum Colloquium Doctorum, cujus quidem est factum initium, & omnino putabam, futurum, ut, postquam ego, ceterique Principes buc venissemus, & Collocutores reperiremus huic rei vacantes, & quid inter ipsos actum esset, cognosceremus: nunc autem scimus atque videmus, quemadmodum absque fructu sit dissolutum, & abruptum Colloquium: cum autem ipse vebementer cuperem, pacare Germaniam, dissidio sublato Religionis, petii, ut, quid amplius in eo faciendum esse putent, mihi communicent, ut pro meo munere, officioque statuere demum aliquid utiliter possem: ad hæc, quoniam Imperii summa necessitas postulat, ut Cæmærae iudicium restituatur, & vero, quemadmodum id fieri debeat, legibus jam antea cautum sit, postulavi, ut, qui ejus rei jus habent, exhibeant, ac repræsentent Assessores, & impensam omnem faciant, neque me, qui maximum Imperii causa sumptum sustinui, præterea gravent, nam ut legibus atque iudicio caveat Germania, res est

Et illaudati exempli, nec ullo modo ^{Sæcul XVI.} possit excusari: deliberatio etiam de A C. 1546. inferendo Turcis bello, in hoc tempus est rejecta, sed anno superiori Gallia Rex mihi nuntiavit, quod de induciis impetrandis sit spes, ad eamque rem procurandam suum studium & operam est pollicitus, & quia non ita pridem auxilia mihi dederunt Ordines, annona quoque multis in locis non respondet expectationi, visum mihi fuit, Germaniam esse nonnihil recreandam, ut, cum opus erit, tolerare sumptum possit: itaque per intercessionem Gallia Regis egi cum Turca, & unius anni pactus sum inducias: cum autem illa jam ad finem Octobris exeant, & alioqui non uno modo violentur, sicut a Ferdinando Rege fratre meo accepi, & qui sit futurus eventus, non constet, omnino arbitror, futurum, ut cum res ita poscat, illud, quod de auxiliis antea polliciti sunt, præstent: ego vicissim, quod ad tutandum imperium pertinet, nihil non sum collaturus & opis & consilii.

§. CXLV.

Diffidia inter Electorum Legatos.

Verum hæc Cæsaris oratio adeo non ^{Sleid. p. 582.} Principes ad mutuam, ut moris erat,

Sæcul. XVI. erat, consultationem permovebat, ut
A.C. 1546. etiam inde novis inter se diffidiis colli-
 derentur; Moguntini enim ac Trevi-
 renses Legati, cum a Colonienſibus,
 Palatinis, Saxonis & Brandeburgen-
 ſibus ſecederent, ſequæ Catholicis ad-
 jungerent, re in deliberationem voca-
 ta Concilium Tridentinum approba-
 runt, Cæſaremque hortati ſunt, ut il-
 lud quoque tueretur, ac Proteſtanti-
 bus perſuaderet, quatenus & ipſi illud
 reciperent, & ſuos ad illud Legatos
 mitterent, nec non ſeſe illius Decre-
 tis ac deciſionibus ſubmitterent: Vi-
 ciſſim vero Proteſtantes a Cæſare pe-
 tebant, ut firmam pacem, & æquale
 utrinque jus conſtituat, ac Religionis
 negotia in legitima totius Germaniæ
 Synodo, vel in Imperii Comitiis, aut
 denique in doctorum Theologorum
 conventu dirimi permittat; Tridenti-
 num enim Concilium, ajebant, non
 eſſe illud, quod in Imperii Conventi-
 bus ſæpius fuit promiſſum, ut proin
 illud acceptari nulla ſpes ſuperſit. Ve-
 rum Imperator ad hæc effugia ſurdas
 præbuit aures, tantamque in Frideri-
 cum Saxonix Electorem indignatio-
 nem concepit, ut eidem hæc ſuo no-
 mine ſignificari juberet: „Viro hone-
 „ſto indignum eſt, quod nullam omni-
 „no

„no habeat rationem tantæ sollicitudi-
 „nis, qua Imperator generalis Conci-
 „lii celebrationem ideo urget, ut tandem
 „junctis viribus pax Ecclesiæ reddi pos-
 „set, minus vero Principem decet,
 „tam nequiter Cæsari, Imperio, atque
 „Ecclesiæ illudere. „ Nec hac con-
 tentus epistola Imperator, specialiter
 Baroni Krazelo Electoris Ministro ne-
 gotium dedit, ut ferme eadem Princi-
 pi suo perscriberet.

Sæc. XVI.
 A.C. 1546.

§. CXLVI.

*Cardinalis Tridentinus a Cæsare
 Romam decretus.*

Percepta hac Cæsaris indignatione *Sleid. l. c.*

Protestantibus firmiter adhuc insedit
 suspicio, quod bellum in eos adornaret;
 nec amplius de hoc Cæsaris proposito
 dubitabant, postquam eis nuntiatum
 erat, quod Carolus veredariis equis
 Cardinalem Tridentinum Romam ab-
 legasset, ut deplorandum summo Pon-
 tifici statum exponeret, in quo Religio
 Catholica in Germania cum summo di-
 scrimine versaretur, ni promptum ad-
 hibebatur remedium. Perceperant quo-
 que Protestantes, quod Imperator Bel-
 liduces ac tribunos, ut milites conscri-
 berent, cum pecunijs dimisisset, ac Ma-

xi-

Sæcul. XVI. ximiliano Burenfi Comiti mandasset, ut
A.C. 1546. quantas omnino posset, equitum pedi-
 tumque copias in inferiori Germania
 conduceret, Albertus vero, & Joannes
 Brandenburgici Duces, nec non Wolf-
 gangus Ordinis Teuthonici Magister ca-
 taphractos contraherent. Erant qui-
 dem præfati duo Duces religione Pro-
 testantes, imo iisdem etiam fœdere jun-
 cti (*), Cæsaris tamen partibus adhæ-
 serunt, rati, quod hic non religionis,
 sed quorundam seditionis plectendæ
 caussa bellum susciperet: Cum autem
 Landgravius, qui missis subinde Ratis-
 bonam literis omnia sagacissime perve-
 stigabat, hosce belli rumores haud ina-
 nes esse comperiret, suis Fœderatis au-
 ctor exstitit, ut veteranos suos milites
 retinerent, novosque conscriberent:
 verum hi primo Landgravii verbis vix
 fidem dabant, pacemque a Cæsare vie-
 landam ægre sibi persuadere poterant,
 cum autem Landgravii timorem haud
 vanum fuisse eventus doceret, mox ipsi
 Imperatorem die decima sexta Junii
 quæ-

(*) Totum pro more suo Continuator ex
 Sleidano descripsit, minus tamen fideliter, cum
 hic duntaxat Joannem Protestantibus fœdere
 junctum dicat, Continuator vero utrumque il-
 lis sociatum pro suo arbitrio fingat.

quæsitum adibant, cur pace cum Tur- Sæcul XVI.
cis æque ac Gallis constituta ejus jussu A. C. 1546.
tam numerosæ in Imperio copiæ con-
traherentur, quorsumque tantus armo-
rum apparatus spectaret? Ad hæc
Cæsar per Navium respondit: „ Non
„ aliud mihi propositum est, quam ut
„ Imperii Ordines sibi invicem conci-
„ lientur, & pax unioque per Imperium
„ floreat, in eo igitur qui mihi obtem-
„ peraverint, hi omnem a me benevo-
„ lentiam atque amicitiam sibi polliceri
„ poterunt, in eos autem, qui nil nisi
„ diffidiis ac tumultibus intenti sunt,
„ pro jure, atque auctoritate mea mi-
„ hi agendum est. „

§. CXLVII.

*Cæsaris literæ ad plures Prote-
stantium civitates.*

Altera die Imperator ad plerasque Pro- Sleid. p. 583.
testantium urbes, præsertim ad Ar-
gentinenses, Norimbergenses, Augu-
stanos atque Ulmenses literas dedit ad
eorum Magistratus directas, quibus hæc
significabat: *Non dubito, quin vobis
abunde constet, quam cara mihi semper
fuerit Germania, communis omnium pa-
tria, quantos etiam obierim labores, &
sumptus fecerim, non absque Regnorum
Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Ss meo-*

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

meorum maximo dispendio, ut grave illud & periculosum Religionis dissidium componeretur, qua quidem in re nullum meum captavi privatam emolumentum, sed in id semper operam dedi, ut sublevis offensibus, pace Germania frueretur: hoc enim Decreta testificantur, a me subinde renovata, tametsi quidam scelus hæc interpretentur, & falso mihi diversum sensum attribuant. In hac etiam mea reipublicæ administratione, civitatum salus mihi semper curæ fuit, ne videlicet a quibusdam opprimerentur, qui datam occasionem atque facultatem ejus rei perficiendæ non erant neglecturi, quod etiam vos, ex rebus antea actis, pro vestra prudentia non semel animadvertisse puto: jam, licet a quibusdam varia sæpe tentata sint in vestrum, & reliquorum Ordinum, & meum quoque detrimentum, tamen, quod ea sine majore aliquo motu corrigere non possem, toleravi, spe quadam bona, fore, ut hujus meæ lenitudinis fructum aliquando perciperem, utilem reipublicæ: quod sane futurum erat, nisi quidam occultis & miris artibus conciliationem impedivissent, non eo certe, quod Religionem ament, aut gloriam Dei spectent, sed ut obducta quadam specie pietatis, qua suam nequitiam tegunt, reliquos Ordines opprimant,

Sæcul. XVI,
A.C. 1546

mant, eorumque factiones in suam potestatem redigant; nam & quorundam bona jam occuparunt, & per vim adhuc detinent, magna certe cum injuria plurimorum, & cum eo rem deduxerint, ut sublatis judiciis, nihil amplius metuant, nunc etiam hunc meum, quo fungor, Magistratum non uno modo petunt, & temerarie convellunt, eo consilio nimium, ut Ordines Imperii, maxime vero civitates, partim vi, partim insidiosis rationibus subigant, cujus quidem rei fidem mihi faciunt sermones ipsorum, quando jactant, ut quidem ad me deferretur a fide dignis, & minantur etiam, se mihi vim facturos, atque bellum. Testantur idem tot illorum ficti, seditiosi, famosi libelli atque picturae, quas edunt, ut turbas excitent, & in me populum accendant: itaque spem nullam habere possum, fore, ut patientia & lenitate mea victi redeant ad sanitatem aliquando, & ab insolentia sua desistant. Nam adhuc quidem adeo nihil hac ratione profeci, tot nunc annis, ut non solum non facti sint meliores, verum etiam se ipsis deteriores, & obstinati magis, magisque rebelles ac temerarii, quæ sane res ad integritum reipublicæ pertinet, ac nisi remedium adhibeatur, futurum est, ut e sua prisca libertate Germania gravissimam

Sæcul. XVI. *in servitutem atque tyrannidem adducatur: id vero tolerare diutius atque pati nec mihi licet, nec ullo modo, si ferrem, excusari possem: ut ergo dignitas mihi mea conservetur, ut pax atque jus in suo gradu consistant, ut imminens periculum ab Imperio depellatur, & a vestro capite, reipublicæ perturbatores illos ad officium adducere, & Germaniam suo nitari, atque libertati restituere constitui, quod quidem institutum meum vobis putavi demuntiandum, ut ne fidem habentis iis, qui forte spargent aliud esse mei consilii; nam sancte vobis confirmo, non aliud me spectare, quam hoc ipsum, quod jam exposui: quapropter etiam confido, vos mihi non esse defuturos, ut & illorum reprimatur audacia, & vestra vobis dignitas recuperetur. Id si feceritis, omnem a me benevolentiam vos exspectare jubeo, quod quidem amplius declarabo, si quis a vobis ad me veniat ejus rei Legatus.*

Eadem ferme ad Wittembergensem Ducem perscripsit Imperator, Granvelanum vero æque ac Navius præfatarum urbium Deputatis hæc significabant:
 „Hoc bellum non adversus civitates vestras, sed in quosdam paratur rebelles, qui violata Cæsaris Majestate quorundam etiam Principum ac Præfulum

„lum bona per nefas occuparunt, pro-
 „in ut in Cæsaris fide permaneatis, vos
 „Cæsar adhortatur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1546.

§. CXLVIII.

*Papa a Cæsare datis literis ad fœ-
 dus contra Protestantes solli-
 citatus.*

Interea vero Madrutius Cardinalis Epi-
 scopus Tridentinus jamjam Romam
 versus iter aggrediebatur, dato eidem
 negotio, ut fœdus cum Papa iniret,
 promptumque armorum apparatus ab
 eo impetraret. Hanc in rem Impera-
 tor Madrutio non modo ad Cardinales
 Religionis studio magis accensos, sed
 etiam ad plures Proceres, quos majori
 apud Papam gratia valere noverat, lite-
 ras tradidit, ipseque summo Pontifici
 hunc in modum perscripsit: „Beatissi-
 „me Pater! Quamvis publici de super-
 „ba hostium a Sede Apostolica perfide
 „decedentium, eamque persequentium
 „insolentia rumores, & seditiosa eorum
 „conventicula, nec non numerosæ il-
 „lorum copiæ pro tuenda sacrilega sua
 „secta conscriptæ satis abunde cognitum
 „Sanctitatis suæ zelum ac fidei studium
 „excitare possent, eamque non modo
 „ad fœdus contra hosce rebelles san-

Sæcul. XVI. „ciendum, sed etiam ad eandem armo-
 A C. 1546. „rum societatem ceteris suadendam im-
 „pellere deberent, nihilominus, cum
 „malum in dies magis magisque inva-
 „lescat, ac proin ejus foederis necessi-
 „tas vehementius urgeat, Cardinalem
 „Madrutium ea, quam tanta necessitas
 „exigit, celeritate Romam ablegare
 „constitui, ut deplorandum Germaniæ
 „statum Sanctitati vestræ exponeret.
 „De cetero haud judico, fore necessa-
 „rium, ut Sanctitati vestræ, cui id me-
 „lius quam mihi met ipsi notum est, plu-
 „ribus exponam, quod nullatenus pro-
 „prii quæstus studio impulsus Sanctita-
 „tem vestram ad ejusmodi foedus solli-
 „citem, cum extra omne dubium sit po-
 „situm, quod Lutheri Sectatores immo-
 „ta fide ac obsequio mihi adhærent,
 „si eisdem haud amplius resistere vel-
 „lem: Agitur itaque unice de causa
 „Dei, nec non sanctæ puræque Religio-
 „nis Catholicæ, quæ cum ipso Christo
 „Domino adolevit, ejusque ærumnis
 „plantata, illiusque pretiosissimo sangui-
 „ne rigata fuit: Agitur, nec id quidem
 „asserere dubito, de ipsa etiam Sede A-
 „postolica, cujus Sanctitatem vestram
 „tanquam dignissimum Caput vene-
 „ror, in quod hæretici periculosissima
 „sua spicula intendunt, spe freti, quod
 „tunc,

„ tunc, si hanc columnam, quæ Eccle- Sæcul. XVI.
 „ siam Catholicam sustentat, ac veluti A.C. 1546.
 „ vallo cingit, feliciter everterint, nullo
 „ negotio ipsam quoque Ecclesiam brevi
 „ pessumdare possint. Equidem haud
 „ me latet, imo & Sanctitati vestræ me-
 „ lius, quam mihi, comprobatum est, quod
 „ portæ inferni nunquam prævalituræ
 „ sint adversus veram Ecclesiam, Deus
 „ tamen Principes tanquam illius defen-
 „ sores constituit, eisque pro illius præ-
 „ sidio potentiam viresque tribuit. Qua-
 „ propter gladium, quo provida Dei sa-
 „ pientia dexteram meam armavit, strin-
 „ gere constitui, atque ab Imperii Ele-
 „ ctoribus adjutus lubens, quicquid mei
 „ subditi, qui omnes per Dei gratiam
 „ constanter Catholicam fidem profiten-
 „ tur, conferre poterunt, impendam, nec
 „ etiam proprio meo cruori parcam, ut
 „ Dei gloriam ejusque causam contra e-
 „ jus hostes totis viribus defendere pos-
 „ sim: Porro prosperos expeditionis meæ
 „ successus opitulante Deo mihi polliceor,
 „ præcipue, si & Sanctitas vestra vires suas
 „ meis conjungere velit. Cetera vero, quæ
 „ hanc societatem spectent, nec non quæ-
 „ nam mala vehementius urgeant, pluri-
 „ bus exponet Cardinalis Madrutius. „
 Data est hæc epistola WORMATIÆ die se-
 cunda Junii (*). Ss 4 §. CXLIX.

(*) Mirum sane, quod Scriptorum nullus,
 ne-

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. CXLIX.

*Cardinalis Tridentinus Romam
veniens.**Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 8. c. 1. n. 2.*

Tandem Cardinalis Madrutius hujus epistolæ lator Romam venit, ac Pontificem, totamque illius Curiam ingenti timore percussos reperit, ob sparsum ubique rumorem, quod Protestantes octoginta peditum, ac quadraginta equitum millia conscribere, potentique hoc exercitu recta Romam petere constituisent. Nonnullorum erat suspicio, quod Cæsaris fautores ipsimet hanc famam eo fine divulgarent, ut metum Pontifici incuterent, eumque ad validas suppetias inducerent. Verus denique, an falsus hic fuerit rumor, id tamen extra dubium est, quod Cardinalis, qui rem majori cum celeritate maturaturus ante ipsas Vaticani Palatii fores curru suo descenderat, vix Pontificem sibi valde propensum salutaf-

neque Sarpus, Sleidanus, Goldastus, Surius, Pallavicinus, Natalis Alexander, Pagius, Raynaldus Odoricus, Burchardus Struvius, Palarius, Massenius, nec alii plures, quos consului, de hac epistola ullam omnino mentionem faciunt, magis vero mirum est, quod ipsemet Continuator nullum omnino Scriptorem hujus epistolæ testem alleget.

tasset, quin illico eundem, Cæsaris episto-
 la nondum perlecta, tantopere ad quæ-
 cunque illius vota inclinatum experire-
 tur, ut omnis precum importunitas su-
 perflua videretur: quapropter Pontifex
 Alexandrum Farnesium Nepotem suum,
 aliumve Cardinalem nominabat, qui fœ-
 deris articulos conciperent, quibus ap-
 probatis ad alteram diem, quæ erat de-
 cima nona Junii, sacrum Patrum Sena-
 tum convocavit, ut ibidem suam quis-
 que sententiam hac super re ediceret.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1546.

§. CL.

*Fœderis articuli Papam inter & Cæ-
 sarem contra Protestantes.*

Insuper Papa præsentis die vigesima se-
 cunda Junii Conventus habebatur, in
 quo Cardinalis Trivultius fœderis pacta
 unanimi consensu firmata prælegebat,
 quibus primo Pontifex, postea Cardina-
 lis Farnesius, tanquam primus illius Mi-
 nister, ac denique Tridentinus, Cæsaris
 Orator, omnesque Purpurati, ac præci-
 pui Romanæ urbis Proceres eo accersi-
 ti subscripserunt.

His ita peractis Madrutius omni, *Pollav. n. 3.*
 qua poterat, celeritate reversus, Cæ- *Sleid. comm.*
 sarem adiit, qui pariter fœderi ne- *l. 17. p. 593.*
 quidem perlecto unice Cardinalis dex-

Ss 5

te-

Sæc. XVI. teritati confisus chirographum suum
 A. C. 1546. apposuit (*).

§. CLI.

Hujus fœderis articuli.

Steidan. l. c. In hujus fœderis tabulis hæc præmit-
Belc. l. c. tebantur: *Quoniam permultos nunc*
Thuan. hist. *annos in magnis perseveravit erroribus*
l. 2. hoc ann. *Germania, sic ut ingens ex eo sit metuen-*
n. 6. *dum periculum, cujus quidem avertendi*
caussa est indictum Tridenti Concilium
in mense Decembri anni superioris inchoa-
tum, cum vero Protestantes illud repu-
dient, nec ad se pertinere dicant, ideo
Pontifex atque Cæsar pro gloria Dei &
pro reipublicæ, maxime vero Germania
sa-

(*) Rursus nullus omnino Scriptor a Conti-
 nuatore allegatus, nec ullus ex iis, quos nuper
 commemoravi, quicquam de præfensa hac fœ-
 dus ineundi vel firmandi aviditate scribunt; quis
 enim credat, quod sagacissimus Cæsar Carolus in
 re tanti momenti cæco adeo impetu fœderi no-
 men dare voluerit, quin tamen illius articulos
 prælegeret, aut de conditionibus ipsi præscri-
 ptis sollicitus esset: iniquius ergo hæc tam Pon-
 tifici, quam Cæsari afficta esse haud temere su-
 spicior. Verum major æquitas a Scriptore uni-
 ce ad gloriam propriæ gentis extollendam, at-
 que alienæ deprimendam intento haud exspe-
 ctari potest.

salute certis legibus inter se transigerunt. Sæcul. XVI.
 Postea recensentur foederis articuli, A.C. 1546.
 quorum primus est, *Cæsar exercitum,*
Et quicquid est ad bellum necessarium,
proximo mense Junio comparet, Et sit re-
bus omnibus instructus, eosque, qui Conci-
lium recusant, ac errores illos defendunt,
viribus Et armis ad priscam Religionem
Et sanctæ Sedis obedientiam reducat. II.
Vicissim Pontifex præter illa centum au-
reorum millia, quæ jam deposuit, tantun-
dem Venetiis quoque deponat, quæ postea
ipsius Legati nullum in alium, quam in bel-
li usum expendant: Et si nullum erit bel-
lum, eam pecuniam ad se recipiat: ad hæc
subministret in hoc bellum, Et alat pedi-
tum Itatorum millia duodecim, Et levis
armaturæ equites quingentos, per seme-
stre tempus, Et bis copiis præficiat Lega-
tum, Duces atque Centuriones: quod si
bellum ante sextum mensem finiatur, ip-
sus hoc fiat commodo. III. Cæsari liceat
hoc anno, permissu Pontificis, dimidiam
partem bonorum Ecclesiæ per Hispaniam
sumere. IV. Liceat quoque ex annuis
proventibus Monasteriorum Hispaniæ di-
vendere, donec ad aureorum millia quin-
genta confecerit, Et hæc quidem omnia
belli tantum hujus gerendi gratia, verum
ea lege tamen, ut de suis bonis tantundem
illis invicem oppignoret: Et, quia res
novi

Sæcul. XVI. *novi est exempli, ex arbitrio Pontificis,*
 A. C. 1546. *hoc nomine recte faciat. V. Si quis hoc*
ipforum institutum impedire velit, con-
junctis viribus ei resistant, & auxilium
alter alteri ferant, idque facere tenean-
tur ambo, quamdiu bellum durabit, &
sex præterea mensibus a finito bello. VI.
Integrum sit cuique sese adjungere huic
fæderi, & partem subire tum oneris tum
emolumenti. VII. Omnibus Papæ copius
Octavius Farnesius Pauli nepos tanquam
supremus Ecclesiæ Bellidux præerit, nul-
liusque imperio nisi solius Cæsaris, vel
Albæ Ducis, qui Imperatoris vices ageret,
subsit. VIII. Alexander Cardinalis al-
ter Papæ nepos, etiamsi Romæ ejus præ-
sentia esset necessæria, nihilominus tan-
quam Papæ Legatus ad Cæsarem
sumptibus Sedis Apostolicæ
contendat.

